

HISTORICAE GENALOGICÆ

INNOCCENTIO XIII
PONTE MAXIMO;

ACADEMIAE FRIDERICIANÆ

TVIBVS FRIDERICIANÆ

FLORENTESIBS

ANALYTICÆ ET HISTORIARVM CULTORIBVS.

SCHOLÆ SVAS HODINAS

PER TERRAM SILENTIORUM

JO. DANIEL. GRUBER.

ET AL. 1750.

Q. F. F. S.

DE

L.

PRINCIPE
HAEREDAE
EX
TESTAMENTO
CIVIVM

3
1723.10.6

PRAESIDE
NICOLAO HIERONYMO
GVNDLINGIO ICT.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
BORVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMORIBVS
ET ECCLESIASTICIS, IURIS NATVRAE AC GENTI-
VM ITEMQUE ELOQVENTIAE ATQVE ANTIQVITA-
TVM PROFESSORE ORDINARIO

D. MAII CI C I CC XXI.
H. L. Q. C.

DISPUTABIT

IACOBVS FRIDERICVS GOLL

Stutgardientis Wurtenbergicus.

Recusa, Halæ Magdeb. TYP. CHRIST. HENCKELII, ACAD. TYP. 1732.





CONSPPECTVS DISSERTATIONIS.

CAP. I.

De testamentorum stabilitate.

§. I. **T**estamenta e iure arbitrio vim suam obtinent, non necessario. §. II. Quod stabilitur. Leibnitii argumentum mirificum ab immortali animæ natura petitum confutatur. §. III. IV. V. An principes a forma testamentorum resilire probitatu queant? quod quodammodo negatur.

CAP. II.

Romanorum fundamenta in successione ex causa intestati ac testati.

§. I. **E**rrant qui successiones ab intestato a presumta defunctorum voluntate deducunt. Habuere Romani peculiares rationes. §. II. III. A quibus Romani suis sine solennitate recedere nolebant. Vnde testamentorum sparsa difficultas.

CAP. III.

De civitatibus & collegiis haeredibus.

§. I. **N**umerabantur ciuitates & respublicæ in personis in certis, hinc nemo eas haeredes scribebat. §. II. Cur dictæ incertæ persona? Vipiano lux. §. III. Muretus notatur, qui, quod de Masiliensi ciuitate apud Tacitum legit, omnibus applicat. Masilienses Ionicis legibus utebantur. Quid sit Romanis Respublica? an Rama in legum corpore ciuitas vocetur? Plini junioris cogitata de haerede ciuitate. Eius verba iuridice expenduntur. §. IV. Municipiis nulla quoque legata relinquebantur. Senatusconsultum Apronianum fideicomissa iisdem restitui permisit: ac legari. Quis Apronianus? Quo tempore hoc senatusconsultum eauerit, di-

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

versum ab altero, quo libertis vniuersitatum permisum, ut
bisce hæreditatem relinquerent. §. V. §. VI. Coniectura ca-
pitur, ab Hadriano ciuitatibus permisum, vt legata; deinde
sub Antoniniis ut hæreditates caperent, argumento caritatis in
patriam. M. Antoninus Stoicus in solemnibus testamentariis
tollenda perbenignus. §. VII. Roma communis patria. §.
VIII. Zacharias Huberus in contrarium it, omni tempore hæ-
redes scriptas ciuitates & ipsum populum Romanum adfir-
mans: qui refellitur. Exemplum Flora minus apte adlatum.
Augustus populo plebico Romanae legavit, sed Tiberius non
persoluit legata. Suetonii locus expensus. Nec consequitur,
vt si Princeps legare ciuitatibus potuit, id licitum fuerit omni-
bus hominibus singularibus. Proclus interea Athenis heredi-
tatem ex parte reliquit: Misitheus Romanae reipublicæ. Quan-
do id factum?

CAP. IV.

Origo hæreditatum Principibus e testamento delatarum.

§. I. **E**xspirente libertate Romanae Principes sunt hæredes
nominati, Princeps Imperator est. §. II. Augu-
stus primum hæreditates, sed moderate tamen affectauit. Ra-
tio politica. §. III. Neminem magis coli se voluit. Ignor-
torum hæritates quare odiose? §. IV. Tiberius imitatus
est Augustum annis imperii primis. §. V. Qua de causa
dixisse Tiberium & Seianum ad hæreditatem vocauerint?
Caligulae audiitas. §. VI. Neronis & Tigellini ac Domitia-
ni artes sceleres; §. VII. Traiani hac in re laus. Plinius lo-
cus. An Traianus nunquam sit scriptus hæres? §. VIII. Vitelli facinus;
Hadriani & Antonini Pii modestia. §. IX.
Pertinacis oratio benigna. §. X. Cuius benignam doctrinam
ado-

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

adoptarunt Iureconsulti inque primis Paulus, cuius dictum explicatur Laudatur Nodius. §. XI. Constantinus M. fisco minus fauens. §. XII. Princeps an ciui? Saltem in hæreditatibus capessendis ciuibus ille se aequari passus est. Accurrit inepta ratio dubitandi, quare Principes non sunt hæredes scribendi? cui dissimilis Ioannis Schardi. §. XIII. Theodosius M. nihil sibi codicillis, vel epistolis relinquet, nec uxori, nec liberis voluit. Ratio ex Symachi litteris. Quod alioquin licetum. §. XIV. Theodosius Iunior a reliquo extestamento nuncupatio perfectio abstinuit, si prius extiisset solemniter scriptum Antonius Faber mire vapulat. §. XV. Pertinacis orationem cum lege Theodosii male confundi. §. XVI. ac porro errores erroribus cumular. §. XVII. Error pragmaticorum, Principe plane non posse in testamento nuncupatiu hæredem scribi somniantium. §. XVIII. Tribonianus constitutionem Theodosianam aliter intellexit ac eius Auctor Theodosius II. eoque dubium nullum, quin secundum illius mentem testamentum nuncupatiuum perfectum rumpat scriptum prius.

CAP. V.

De Procuratoribus Cæsarum inque

primis hæreditatum.

§. I. **P**rocurator quid? Procuratores hæreditatum patrimonii priuati. §. II. Procurator patrimonii absolute talis diuersus a procuratore patrimonii priuati. Fiscus cur res priuata Principis appelletur? Res priuata sine dignitate responde. §. III. Procuratores tributa colligentes. èrègoroi Bacho- vius Xylandrum notat, quod curatores vertit, notatus ipse a Bynckersbækio. §. IV. Procuratores cum potestate gladii constituti. An hæc potestas pertinet ad munus procuratoris? §. V. Procuratores fisci. Confusio exarii & fisci. §. VI. A qui-

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

bus diuersi procuratores patrimonii priuati. Fiscus priuatus. Notionum hac in re mira commixtio. §. VII. Probatio euidentis, procuratores patrimonii simpliciter distinctos fuisse a procuratoribus hereditatum patrimonii priuati. Philippus a Turre laudatus. §. VIII. Procuratores fisci bona vacanta & caduca vindicabant. §. IX. Procuratores in provinciis & urbe. Procurator summae rei. Ius prærogativum Procuratoris in urbe. §. X. Procuratores hereditatum sèpè peculiares. Procuratores XX. hereditatum diuersi a nostris. Petrus Burmannus notatur. Clarissimæ hanc in rem inscriptiones. §. XI. Hisce muneribus præpositi interdum Equites. Equestris nobilitas significat dignitatem. Equites per se veri nobiles non erant. Promittitur diatriba de equitibus municipalibus. Perizonii obseruatio contra thrasones Gallos. §. XII. Error Reinesii, libertis semper id officii datum existimantis. Occurrunt equites & liberti hoc munere functi. Norisus sub Claudio libertos adhibitos primum statuit: qui refellitur. Serui procuratorum. §. XIII. Procuratorum eius generis annum munus. Comitium rerum priuatarum. Stupenda Philippi a Turre diligentia in his rebus. §. XIV. Arcæ rerum publicarum, æraria, fisci. §. XV. Singulare ius procuratorum Cæsarum, ut possent sine mandato opulentas hereditates adire. Seruus iussu procuratoris adibat. §. XVI. Fiscales rerum publicarum. §. XVII. Incorporatio quomodo peracta? Publicatio.

CAP. VI.

Demodo, quo princeps et testamento ciuum succedit.

§. I. **P**rincipes in modo succedendi ex testamento priuatis similes apparent. §. II. Nulla hic lex regia attenditur.

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

tur nulla Principis legibus alioquin solvi libertas. §. III.
vtut Principes pro auctoritate aliam in futurum legem sta-
tuere possint, an prudenter? dubitatur. Tiberius in cornu
prætorii tribunalis sedet. Cur? Non est turpe, Principem
vinere ut ciuem. Plinius egregius locus. §. IV. Qui illuſtrar-
tur. §. V. Est hæc Philosophia Iureconsulitorum ac optimo-
rum Principum, ipsiusq[ue] Insinianæ. §. VI. E quorum legi-
bus nostra conclusiones deducuntur. §. VII. Imperfectio te-
ſtamentorum variæ generis. §. VIII. Parentium ac mili-
tum testamenta non sunt imperfecta, sed priva: non pro-
tendenda ad testamenta priuatorum, unde capiant Princi-
pes. §. IX. X. An Princeps ab eo, qui nullos liberos, agna-
tos cognatosque habet, sine solemnitate firmiter heres ser-
batur? an eum fiscus municipalis excludat? §. XI. §. XII.
Quod negatur e variius argumentis legum. §. XIII. An i-
dem obtingeat in Imperatore isque fiscum Principum imperii
excludat? §. XIV. Principi nequaquam indecorum, ut bo-
norum possessionem petat secundum tabulas. §. XV. Dilu-
untur rationes in contrarium. §. XVI. Vbi honorum pos-
ſionem petat; & quomodo? §. XVII. Querela inofficioſe
contra testamentum patris liberorumque eti Princeps scri-
ptus. An areſto includi bona sic relicta querant? §. XVIII.
Vtrum Princeps vicit inique querentes insuper puniat, are-
bi ſolum legata amittant? Affirmatur posterius, negatur pri-
us. §. XIX. Quis nec Princeps tutus eſt, eti querelæ re-
nunciauit filius. §. XX. Quod aliter eſt, si filius ſe ipsum
exhæredem scriptit, aut testamento, in quo eſt exhæredatus,
rite ſubscriptit. §. XXI. An qui conſentit in præteritionem,
Principem ab hæreditate nihilominus excludat? Datur fra-
tribus in præteritionem conſentientis bonorum posſeſſio contra
tabulas. §. XXII. Et Principi, ſi præterius ex poſt facto
denuo

CONSPPECTVS DISSERTATIONIS.

denuo approbet, nec fratres bonorum possessionem petant contra tabulas. §. XXIII. Quid sit Principem non adire hereditatem litis causa sibi reliquam. Theophilus & Acurius interpretatio configitur, existimantium, id solum Principem facere, si tabula non legitime finit. Pertinax senatus consilio prohibuit, quod alii exemplo probarunt. §. XXIV. Est hic mos bonus propagandus ad Augustam & Augusti liberos. §. XXV. An tam sevare agendum cum Imperatoribus Germanicis? §. XXVI. An ignoratum hereditates adire hodie sit prohibitum Principi? §. XXVII. Principi, qui heres est scriptus, offerre testamentum licite potest. Variia hanc in rem argumenta. §. XXVIII. Quid si sciat, se fore heredem? §. XXIX. Ex captatoria institutione nihil accipit Princeps heres. §. XXX. Quid juris in conditione difficulti Principi adscripta? Stultae Morientium voluntates. §. XXX. Quomodo se quoque summus imperans in legatis ac fideicommissis accommodet legi ciuii? §. XXXII. Princeps nulla olim legata agnouit pœnc nomine. Ea definiuntur. Bynckershoekius descritur, Iustiniano suppetit. Testamentum Staberii Horatiani expositum. §. XXXIII. Legata Principi destinata, quare superiuente licet testatore transmittantur ad successorem? §. XXXIV. Cur Augustæ reliqua non item? §. XXXV. Recte ac sine iniuria mutatur testamentum, et si in eo Augustus heres signatus. §. XXXVI. Corollaria de heredibus sacerdotibus ac piis caussis, Romani Principes pagani religiosores hac in causa ecclesiasticis. An omnes scribere licuerit Deos heredes? Christiani Santos, angelos, martyres promiscue admiserent.

CORRIGENDA.

Pag. 28. lin. 7. lege Theodosii. p. 32. l. 15. lege absoni, pro absonus. p. 14. l. 2. lege rati pro rati p. 66. l. 12. lege acceptam pro acceptum.

PRIN-



PRINCEPS EX TESTAMEN- TO HAERES.

CAP. I.

DE

TESTAMENTORVM STA- BILITATE.

§. I.

Ræponimus ; testa-
menta vim suam accepisse a iu-
re arbitrario. Neque enim ne-
cessario ex ipso rationis fonte
profluit, vt, quod quisque post
mortem suam fieri cupit, stabile
sit atque immotum. Sicut enim
post funera sua nemo amplius vult; ita etiam nihil de
facultatibus nostris post obitum transfertur; cum trans-
latio requirat voluntatem, illaque certissimum sit hu-
mani decreti complementum.

A

§. II.

CAPVT I.

§. II.

Cui non obest, velle & arbitriari testatorem antequam e vita abeat, vt vel hic, vel ille, vel iste patrimonium suum accipiat, & dominus fiat. Negamus namque viuum aliquid transtulisse, aut alienasse a se firmiter. Potest enim, quamdiu viuit, mutare animum; dumque haec facultas tribuitur viuis; iterum consequitur, vt nihil alienauerint spirantes. Vnde apud iure consultos notissimum inueterauit axioma: haereditatem non esse viuentis; eoque conuelliatur Hertii argumentum alioquin speciosissimum, ultimum mortis momentum ad vitam pertinere adfirmantis. Fac quippe, ac finge hoc; & haereditas certe non erit viuentis. Adde nos sperare, nec velle definere, quando spiramus; & manebit libertas mutandi voluntatem, haecque ambulatoria erit vtique. Quod in donatione inter viuos execucionem ab ultimo vite momento suspendente aliter est. Nam ita donans nihil amplius mutare vult, nec potest profecto. Ex quo confit, vt, si quam ultimae voluntates firmitudinem adipiscantur, id sola lege euenire censendum sit, non naturali ac necessaria, sed ciuili ac voluntaria. Vedit hoc Leipnitius, (*) vir clarissimus hinc aliud remedium circumspexit testamentorum stabilitati adplicandum. Configuit enim is ad animorum immortalitatem, vt sic perdurare voluntas mor-

(*) Inueniatur hoc argumentum *in noua methodo iuris prudentiae* p. 56. seqq. estque magnopere mirandum, eum motu adhuc pro dominis rerum suarum habere, atque haeredes illorum tanquam procuratores in rem suam considerare.

mortuorum videatur. Sed cum hoc nimis acutum, nec extra dubitationem constitutum sit, quid tum velit animula, quando non amplius cum corpore est coniuncta, nec res terrenas possidet, nec forte pensi habet, quis possideat imposterum, nec constet, vtrum anima sit damnata, an securus, anticipes certo denuo nascuntur scrupuli. Quis enim damnatae animae voluntatem censeat exsequendam? Quis hanc de rebus post se reliquit, inter varios tumultus ac perturbationes, cogitare certo statuat? Quod si vero in beatissimis locis versetur, aliis forte ac sanctioribus rebus occupatur, quam quae ad hanc referuntur vitam: immo hercule curis tam inanibus nunquam & nusquam distinetur. Multo minus vero nullus gentis prouidentia ad eam usque animorum, post obitum, sollicitudinem sese porrexit: neque, ut eo protendatur, necessum est. Bona semel morte naturali amissa, ita iure censentur extincta, ut licet arbitraretur a corpore sciuncta anima & de fortunis post se reliquit cogitaret, & de patrimonio olim suo varias ratiocinationes ac syllogismos nesciret, nihilominus tamen universa ista negligantur impune. Fac enim, opinari defunctorum animas, indignos esse consanguineos, qui indipiscantur hereditatem, quis illam adimendam propterea censembit proximioribus in vacuam possessionem succedentibus? Sed nescitur, inquit, talis cogitatio atque huiusmodi arbitrium: & nescit, repono, an unquam de rebus terrenis consilia agitant ex hac vita abeuntes deque iis, quae habuere, bonis cum in venis moueretur sanguis, deliberent. Ac si intelligeretur, vix tamen apte aliquis concluderet; ad

4 CAPVT I.

corum cogitat a nunc esse oculos conuertendos. Vnde p̄eclare potius concluditur, viuorum voluntatem esse considerandam: quæ cum ambulatoria sit, non est firma; & quando vero immutabilis sit, bona in patrimonio, aut dominio volentis non amplius existunt, eoque minimum de hisce bonis amissis arbitrii amplius ac disponere nequit: vt taceam de incertis nec loqui iureconsultos, nec sollicitos esse, quia certa amant, & ad sensus & intellectum certum sua referunt vniuerse, non autem ad ea, quæ incertissima sunt, nec verisimilitudinis quadam specie commendantur.

§. III.

Quæ propterea recensemus atque in medium ferimus, vt, quidquid de testamentis dicitur, a Legislatorum humanorum arbitrio pendere cognoscatur; qui varia hunc in finem constituere sibique subiectos diuersis legibus circumscripti, quas obseruari ab omnibus fas est, qui cernere aliorum hereditates cupiunt, molestæ sint, an iucunda, prudentes. an a prudentia remotæ; cum nullum hic privatis iudicium, sed solo parendigloria relicta ad vnum omnibus videatur.

§. IV.

Vnde hoc vnum restat indagandum, an, qui summo imperio pollent, resilire ab eo, quod statuerunt, possint, & quanvis de ultimis voluntatibus seruandis, earumque modo edixerint, ac præcepérint, aliam inire viam, diuersumque, si ipsimet hæredes esse velint, secessari modum queant? Quod, vtut primo obtutu multis videbitur adfirmandum; non puto tamen, recte subduci rationes, nisi in antecessum de singulari modo a se obser-

DE TESTAMENTORVM STABILITATE 3

obseruando sibi subditos commonefecerint. Nam cum testamenta, sicuti ostendimus, lege æterna, & diuina non sint effecta stabilia ac certa; hæcque vnice subfiftant, quia lex humana robur illis impertit, & modum condendi huiusmodi certas & immotas voluntates præscribit; confit sane, vt & se subiecerint, [vel subiicere] saltem tali formæ & modo videantur, sine quo testamentum inrer homines & ciues non intelligitur, quamdiu verum erit, testamentum firmum atque efficientia munitum esse testamentum, cetera, infirma puta ac per se imbecilla, iuris sensu testamenta non esse.

§. V.

Ex quo iterum infurtur, optime facere, qui hic ad legum ciuilium decreta se componunt, nec ab eorum tenore vlla ratione deflectunt. Prorsus namque abs non est aliam probare testamenti formam in se, quam neque naturalis, neque humana lex stabiliuit, eoque pro arbitrio arripere opes priuatorum, de quo tamen antea nihil scriptum, nihilque ylo tempore publicatum invenitur; idque venditare interea pro successione ex testamento, quod absque lege vix intelligitur. Quæ res efficit, vt cum lareconsulti Romana contueantur, & in hisce scitis ac legibus interpretandis assidu versentur; opera pretium sit inquirere paullo luculentius, quid de themate nostro in latifundiis iuris Romani reperiatur.

A 3

CAP.



CAP. II.

ROMANORVM FUNDAMENTA
IN SUCCESSIONE EX CAVSSA
INTESTATI AC TESTATI

§. I.

Et certum est, Romanos in successionibus ex causa intestati nequaquam ad presumtam vitæ functionum voluntatem oculos intendisse, quemadmodum post alios Grotius, & post Grotium innumeri opinati sunt. Potius illi liberos putabant *successores*, qui iure sui succederent ex proximo, quod habebant, dominio & successione. Quin grande mortalitis solatium existimabant, hæredem sibi suum, hoc est, partem sui viuam relinquere, atque adeo non totum mori. Agnoscat Lector doctissimi Bynkershoeckii verba Obseru. I. R. lib. I. cap. XIX. vbi expofuit, *quid sit dulci officio fungi?* Vnde ipsa sui hæredis appellatio descendit, quia, dum patrem repræsentant, quasi sei ipsius ipſi hæredes sunt. Nec dubium, quin, ut parentes liberis; ita liberos inesse parentibus crediderint: indeque est, quod filius cum parente idem sit habitus, hicque cum filio. Cui adiiciendum, quod idem luteconsultus Belga lib. II. cap. I. probauit. Quirites etiam post liberos alios proximiiores, dummodo eiusdem effent familiæ, hæredes voluisse, ut pote ex eadem tribu atque universitate prouenientes.

§. II.

Quibus in constitutis facillime nunc intelligitur,
quam-

quamobrem Romani legislatores publica duntaxat auctoritate proximo gradu possidentibus, hoc est; parentibus, liberis, agnatis & gentilibus hereditatem iudicauerint adimendam, ac primo in calatis comitiis, deinde inter viuos per æs & libram, iterum per imaginem populi Romani ac septem testes, postremo Principis ac Magistratus testimonio interueiente ablatam necessariam familiam, seu hereditatem, in alios transulerint; nec sine solenni expulsione liberos, Parentesque a lege stabilita successione excluderint: verba lara, iudicium certum, & certas etiam personas requirentes, in quas transiret dominium ac possessio recti patrimonii luculenta.

§. III.

Quemadmodum enim publica lege successio datur, ita publice iterum, nec sine negotio eripiebatur. Quod propterea cum cura animaduertendum censemus, ne leges successionis ab intestato aliquis amplius e causa testati deriuet, eamque presumptum testamentum in concione appellitet; cum potius inuertenda sit scena, totaque testamenti factio & diligentia ista, ut ut misera, ab amore tuendi ordinem intestati farcessenda. Quod facile per partes esset demonstrandum, si hoc duntaxat nobis propositum; nec de personis instituendis, vel institui suetis in primis foret differentium.

CAP.

CAP. III.

DE

CIVITATIBVS ET COLLEGI-
IS HAEREDIBVS.

§. I.

ET si enim copiosa est de personis certis incertisque disceptatio, nolumus tamen eam hoc loco negligere. Quippe in incertis personis numerata quoque ciuitas, municipium, municipes, integra collegia, quid? quod populus Romanus, seu Respublica Romana, quemadmodum id maximam partem ex *Vlpiani fragmentis* tit. XXII. bene intelligitur. Quo obseruato illam demum dubitationem, quæ me maxime augebat, dispuli, quamobrem Principes saepissime legantur hæredes scripti, publica vero res ac populus Romanus non item? Nam et si populus Romanus Attali Pergamenorum Regis aliorumque hæreditates adiit; neutquam tamen id ex suo iure, sed gentium δικαιοστάτω τρόπῳ factum defendebat: quippe quo nemini prohibitum, adire hæreditatem defuncti voluntate sibi destinatam. At ut ciuis nuncuparet, aut litteris signaret rempublicam, seu populum Romanum hæredem in veterinorum Auctorum scriptis, vix inuenies. Neque antiqui iuris ratio e longinquō videtur pertenda.

§. II.

Ciuitates enim & collegia per se nihil sunt, sed consistunt ex ciuibus & personis singularibus, quæ personæ

sonæ sunt incertæ, aut, uti loquitur Vlpianus, *incertum corpus*, *ut neque cernere neque pro libito de hærede DECERNERE possint*, *ut hæredes fiant*. *Lego DECERNERE*; idque latius atque certius existimo, quam quod Cuiacius coniecit, *neque pro hærede gerere*, aut quod Charondas substituit, *neque pro libito omnes pro hærede gerere possunt*. Quamlibet enim sensus non incommodus sit; vix tamen credibile est, hanc fuisse Vlpiani scripturam; quod bene notauit Schultingius ad laudatum Vlpiani fragmentum: vtut aliam lectionem non attulit ipse, nec nostra ei in mentem venit. Quam interea nullo fere negotio probabilem efficimus: dummodo animaduertat lector, frequenter euenisse, vt syllaba postrema præcedentis voculae necteretur sequenti; sicuti hoc loco id merito creditur, nempe, vt scriptum fuerit *HÆREDE cerneretur*, sitque nunc syllaba extrema ad complendum verbi sensum utique repetenda ac geminanda *de hærede decernere*. Mens autem Vlpiani eoredit: vix posse fieri, *vt omnes cernant*, & de hæreditate, aut hærede *decernant*, cum interea vniuersorum in hæreditate cernenda, atque ad eundem animo ac voluntate opus sit. Accedit ciuiis, municipibus, populo valde obstans ratio, quod & testatoris consilium de omnibus ac singulis non sit certum, ciuitasque utcunque consideretur, persona imaginaria, ficta ac mystica videatur. Quod autem comminiscimur, animoque singimus, a certo paullulum abest. Idcirco nec legatum *olim* tales personæ commentitiae capere poterant.

B

§. III.

§. III.

Quare vix ad rem facit, quod Antonius Muretus adnotauit ad Taciti annal. lib. IV. cap. XLIII. n. 5. *Vulcatum Moschum exulem in Massilienses receptum bona sua REIPUBLICAE eorum, ut PATRIAE, reliquise.* Planum enim est, id exempli ad ius Romanum non pertinere, cum Massilienses Ionicis legibus regerentur: quod dudum ab Vbbone Emmio & Aegidio Menagio in amoenitibus iuris ciuilis obseruatuum recolimus. Itaque magis ad rhombum pertinet, quod apud Plinium lib. V. epist. 7. legitur: *Saturninum se reliquise heredem, ac quadrantem res publice, deinde pro quadrante preceptionem quadringentorum millium dedisse.* At monet idem Plinius, *nec heredem institui, nec precipere posse rem publicam.* Hæc res publica (*) Nouocomum fuit patria Plinii iunioris, indeque testator Saturninus erat oriundus. Id verba produnt sequentia: *Mibi autem defundi voluntas antiquior IVRE est, vique in eo, quod ad communem patriam voluit peruenire.* Sed claret in simile o tempore tallem institutionem fuisse irritam, se inspicitur ius: quod

in-

(*) Res publica non semper accipitur pro ciuitate propriis legibus vtente; sed aliquando pro omni ciuitate, quæ legibus Romanis magistratisque regitur, quos Duumviros & decuriones dixerunt; non nunquam etiam ad imitationem ordinis, qui erat in Urbe, Consules ac Senatum. Ceterum Bachonii ad Wefenbecium tit. ff. ad 1. Iul. pecul. obseruatio est, Romam in legum corpore nunquam vocari ciuitatem per excellentiam. Sed occurrit tamen hic significatus apud auctores probos, inque primis Sallustium.

in primis iureconsulti sunt contuti, non autem defuncti voluntatem, quæ Plinio *antiquior iure* est visa. Vnde denuo: *vereor quam in partem Iureconsulti, quod sum divisorae accipient*. Ac voluit interea seruare voluntatem Saturnini; sed ita tamen, ut Caluifio interprete inteligerent Neocomenses decutiones, nihil a Plinio cohaerede stricto iure deberi. *Velim ergo, inquit, quim proximi decuriones contrahantur, quid sit IVRIS indices, parce tamen & modeste: deinde subiungas, nos quadringenta millia offerre sicut præceptoris Saturninus.* Illud hoc minus, illius liberalitas, nostrum tantum obsequium vocetur. Ex quo patescit, sponte sua voluntati Saturnini satisfacere Plinium statuisse; non autem legis necessitate coactum debuisse, adeoque accessionis iure illam quadrantem recipublice relictam retinere potuisse. Quod profecto indicio est. Nerae saeculo ciuitates nondum haeredes esse scriptas. Ceterum Nouocomum ciuitas erat iure Romano vtens: quamvis interdum municipia propriis legibus viuerent. Sed eo Cæsar colonos duxit, ac leges populi Romani illo in oppido firmavit.

§. IV.

Plus dico & amplius quid obseruo, nempe, municipiis & ciuitatibus ne legatum quidem relinquiri potuisse. Refert quippe laudatus Vlpianus in fragmentis tit. XXII. n. 5. seq. Senatusconsulto esse demum prospectum, ut *fideicommissa haereditas restitui municipibus* potuerit; quid? quod legari. Hoc Senatusconsultum sine dubio Apronianum est, ab Aproniano consule ita dictum, qui sub Hadriano & Antonino Pio vi-

xit. Videtur hicesse Apronianus Proconsul, cuius in Nomo Smyrnæorum mentio iniicitur, quem Antonini Pii esse cum Cybeles sedentis effigie Ioannis Harduinus indicat in *in Numis antiquis p. 159. a.* Vnde Cuiacio suppetiae feruntur Senatusconsultum hoc Marci temporibus adfigenti. Et si enim non nego, occurere Apronianum consulem iam sub Hadriano; non est tamen diffitendum, inueniri eundem sub Antoninis Praeconsulem ita quidem, ut nisi aliud argumentum suppeteret clarissimo Schultingio Cuiacium confutanti, huius sane sententia certissime sit triumphatura. Sed nouum is præsidium a Iuliano Iureconsulto petit, cui hoc iam cognitum ius, vt appareat elege 27. pr. ff. ad Sc. *Trebellianum*. Iulianus vero libros suos edidisse videtur, antequam rerum potirentur Antonini. Quare conficitur, vt probabilius sit, Hadriano imperante & Apronianio Consule, laudatum Senatusconsultum euauisse. Cui addas, ceruidum Scæuolam, cuius consiliis atque opera in primis usus est Marcus, in l. 101. ff. *de legatis III.* nescio cuius mentionem facere, qui GARISSIMAE PATRIÆ suæ prædia omnia, quæ habebat in Syria, legasset: quod legatum non solum non improbat Scæuola, sed tanquam de re nota, quæ recepti esset iuris, respondet. Ceterum id extra dubium ponendum, esse hoc Senatusconsultum Apronianum diuersum ab altero, quo libertis Vniuersitatum est permisum, vt illas heredes scriberent, quod ex l. ff. *de libertis Vniuersitatum* palam fit. Quis vero Senatusconsulti huius auctor, quoque istud tempore publicatum, cum ignarissimis scio.

§. V.

§. V.

Verum tamen hac ratione vsu venit, vt, quemadmodum ciuitatibus; ita vicis quoque legata relinquentur, quod postremum a suo Imperatore concessum Gaius Ist ad firmat. Quis vero ille sit Imperator, de quo Gaius verba facit, inquirendum. Et exploratum videtur, Titum Gaium, qui legis excitatae auctor est, sub Hadriano & Antoninis floruisse. Ex quo conjectura capitur, ab eodem Hadriano & ciuitatibus & vicis facultatem fuisse datam percipiendi legata: donec tandem rebus publicis libertas tribueretur, vniuersali titulo cernendi haereditates, vti est in lege 12. C. de Haeredibus instituendis.

§. VI.

Sed caue putes id demum priuilegia Leone Thraee, ad quem dicta lex pertinet, in ciuitates esse collatum. Meminit enim eius iam rei Iulius Paulus l. 121. ff. de legat. i. Iureconsultus sub Seuero & Antonino Caracalla celebratissimus, vt proinde animum inducam, peruiicisse denique rationes a Plinio adductas, vt ne posthaberentur vltimae voluntates morientium, quibus opes suas ad PATRIAM volebant peruenire, repudiat iure veteri, quod ciuitates omnes atque collegia vniuersa in incertarum personarum clasfe collocauerat. Quapropter penitus mihi persuadeo, sub Antoninis iam, ac speciatim sub Marco hoc in mores iuisse, vt fortunas suas omnes, aut earum partem patriæ liceret testamento deputare, cui, si bene sit, omnibus sane bonum est. Sunt fere haec verba Antonini in libello ad se ipsum, vbi de duplice patria sequenti modo philosophatur:

CAP. III. DE CIVITATIBVS

Εἰ δὲ ἐν τῷ Φύσις λογικῇ καὶ πολιτικῇ πόλις καὶ πατρὶς, ὡς μὲν αὐτοῦ νω, μηδὲν ή Ρώμη, ὡς δὲ ἀνθρώπω, ὁ κόσμος. Τὰ τον πόλεσιν γνωτάταις ἀφέληται μόνα εἴη μηδὲν άγαδά. Porro natura mea rationalis & civilis est: ciuitas & patria, qua Antoninus, Roma: qua homo mundus. Hisce ciuitatibus quæ UTILIA, & mihi sunt bona. Neque mihi dubium hæret, quin nihil tum philosophia, tum ingenio huius principis fuerit conuenientius, quam beneficio adficere publicam rem, prorsus atque Senecalib. II. de clementia cap. 5. de Stoicorum sapientia pronuntiat: Nulla secta benignior leniorque est, nulla amantior hominum, & communibus bonis attentior; ut propositum sit usui esse, aut auxilio: nec sibi tantum, sed uniuersis singulique consulere. Qua de causa factum quoque censet Iacobus Gothofredus, Vir doctissimus, in animaduersionibus iuris cap. XVI. vt D. Marcus humanitatis plenus (quo elogio eum Callistratus macerat) scrupulostate circa hæredum institutiones non facile admiserit, & voluntatis testatorum educende magnus artifex solennium ceteroquin scrupulostatem facile remiserit. Quod & exemplis probat.

§. VII.

Patria vero semel ad hæreditates & legata capeſſenda admissa non ſolum municipiis leniori interpretatione ſubuentum, ſed & Romæ vtpote communi patriæ multo magis eſt confultum. Saltem Modestinus l. 33. ff. ad municipalem vrbeſ haud ſecus atque Cicero ut vix ambiguum habeam, licuisse ab eo tempore Romanum, aut populum Romanum hæredem ſcribere. An prius id fuerit conuertum ſuetumque, ſubſiſto.

§. VIII.

§. VIII.

Existimat equidem Zacharias Huberus in dissertatione *de testamento Caesaris Augusti* cap. III. semper id in more fuisse positum, posteaquam animaduertit, narrare Tacitum, *Augustum populo Romano legasse quadragesimatis, tribubus trices quinques libras.* Indeque concludit, aliud legatum populo ac ciuib⁹ Romanis omnium ordinum, aliquid plebi, siue tribub⁹ cum reliquise, colligens porro, ea, quæ peculiari placito de ciuitatibus municipalibus erant constituta, nequaquam trahenda in exemplum, seu, ut Iuroconsulti loquuntur, in consequentias: quemadmodum id variis ex legibus atque exemplis luculenter pateret. A Flora quippe meretrice populum Romanum haereditem scriptum, nonnullisque exteris Regibus. Quod extremum sicuti respondimus initio huius capit⁹; ita mirum admodum, adferri a Viro celeberrimo exemplum Floræ, de cuius facto præter Laetantium nemo quidquam memorie prodidit. Quin adhuc valde dubium est, an haec Flora meretricio more vixerit, quam tanquam matrem populo plebique Romane Iudorum celebritate placandam Cicero grauissimus auctor lib. III. de legibus cap. 7. iudicat. Quod sane non fecisset, si luxuriose ista femina vixisset & impudenter. Nec prætereundum, non luisset Tiberium voluntati Augusti obsequi in persoluerendis legatis plebi relictis. Perspicue hoc colligitur e Suetonio cap. LVII. *Scurrām, inquit, qui prætereunte funere elato, mortuo mandarat, vi nuntiaret Augusto, NON DVM REDDI LEGATA, que plebi raliquisset, adradūm ad se, recipere debitum ducique ad supplicium imperauit* &

PA-

PATRI suo rerum referre. Non est credendum, Tiberium legum reverentia posthabita contemptisse Augusti voluntatem ultimam. Constat aliunde, quando cultu eum sit prosecutus; sed iuris subtilitas obstabat, quo minus in legatis reddendis promptum se se ostenderet. At fac tamen, Tiberium excusari nulla ratione posse, quemadmodum etiam e Tranquilli narratione id quodammodo pellucet; non puto tamen peruinci inde, huiusmodi legata vsu iam comprobato persolui debuisse. Merito enim dicitur, inter imperii initia fauorem hominum fuisse captandum ac liberalitatis simulatione secundum prudentiae decreta satisfaciendum plebi. Ut vero iuris vinculo fuerit obstrictus ad id faciendum, admodum haereo. Sed finge iterum, potuisse sic legare ac praecipere principem, quis hac ratione argumentabitur de ceteris? Ac pronuntiabimus forte meliori modo, ius singulare ac Principibus proprium non esse trahendum in consequentias, quam adseuerat Huberus, a municipiis ac reliquis ciuitatis nequam fas esse ducere consecutionis filum ad urbem Romanam, populumque Romanum. Vbi enim legit is, urbem Romanam non habitam olim pro persona incerta? Id scio, Græcos hic liberaliores extitisse; atque hinc græcis moribus legibusque institutos populos sic legasse, ac reliquise haereditates: quamquam de cetero non constat, an hoc referendum litteramentum Procli Platonici Philosophi, qui μετὰ ἀρχαιοτάτης πόλεων καταλέσπει κτήματα, πατεῖδι τε τῇ ἑαυτῇ, καὶ τῷς ἀθηναῖς. Etsi enim hoc refert Marinus vita Procli Scriptor; est tamen cognitum, Proclum iam quin-

to

to post Christum natum seculo floruisse, quo vrbi, ciuitatibus, patriæ, cum effectu tam legata, quam hæreditates in orbe Romano sine controuerzia relinquebantur. Saltem illustre huius rui exemplum exhibit Capitolinus in Gordiano III. cap. XXVIII. Quippe Misitheus ficer huius Principis doctissimus, *praefectus Praetorio, & Parens Principum dictus hæredem ROMANAM REMPUBLICAM ea conditione instituit, ut quidquid eius fuerat, vestigalibus urbis accederet: vnde credibile est, eius hæreditatem publico ærario fuisse addictam: de quo postea.*

CAP. IV.

ORIGO HAEREDITATVM PRINCIPIBVS E TESTAMENTO DELATARVM.

§. I.

Hactenus ostensum est, ciuitatibus ac populo Romano, propter incertum, quod iure consulti veteres in ultimis voluntatibus sunt aspernati, nec legatum, nec testamentis de hæreditate, nisi recentioribus saeculis, fuisse prospectum. At cum exspiraret libertas, & principatus succederet, & Imperatores regnarent, nihil frequentius tere occurrit, quam Principes nominatos heredes, iis legatum, hæreditatesque iisdem esse frequenter restitutas. Non puto, dubitare quemquam *principem sonare Imperatorem.* Saltem initium

C

an-

18 CAP. IV. ORIGO HAERED. PRINCIPIBVS

annalium Tacitinon legit, qui cuncta discordiis ciuilibus
fessa nomine PRINCIPIS sub imperium accepisse Augustum
non animaduertit.

§. II.

Hi igitur imperatores fauorem ciuium ambientes
ac ceteri amicitia Principum florentes grati animi si-
gnificationem extremis tabulistica vel ex aſſe, vel ex
parte hæredes eos scribebant, ac nuncupabant. De lu-
lio Cæſare ita hærede nuncupato nihil apud æquales au-
tores obſeruatur; cum e contrario de Augusto Tran-
quillus cap. LXVI. diſerte prodat, hanc eum ab amicis
mutuam benevolentiam exigere ſolitum & earum ſuprema
iudicia morofiffime penſitaffe, neque dolore diſimulato, ſi par-
cius, aut citra honorem verborum, neque gaudio, ſi grata pie-
que quis ſe proſecutus fuifet. Bina hic adnoto, feciſſe
Augustum obnoxie omnia, ut ſe gratum acceptumque
populo redderet, deinde existimaffe euadem, honorari
fefe, ac coli, & alios quoque ad euadem cultum facilius
iri traductum, ſi exempla honorantium animaduerte-
rent, quibusque vestigis eſſet inſiftendum, bene intel-
ligerent. Facile autem præuideo, fore permultos, qui
Augustum tanta virtute præditum non ſint credituri:
hinc quod nos ſtudio placendi, alii avaritiæ ſtimulis
tribuent, & auri ſacræ fami. Sed nihil mutamus. I-
dem enim Suetonius auctor eſt cap. CI. Viginti proxi-
mis ante obitum annis quatuor decies millies ex iefamentis
eum percepiffe, quod pene omne cum duobus paternis patri-
moniis ceterisque hereditatibus in REMPUBLICAM adſum-
pſer. Ingens fateor pecuniae ſumma, & triginta quin-
que decies centena millia, ſeu vt vulgo loquimur, mil-
liones

liones æquans; sed quam tamen non profudit ignaue,
nec in loculus suos auare reposuit, sed reipublica bono
sapienter impendit. Quæ consideratio efficit, vt locum
priorem Sueronii ita exponamus: doluisse Augustum,
se hæredem scriptum, aut legatarium effectum, nisi si-
mul benevolentia haud fucatae signa perspiceret, sed
metu potius, aut alterius emolumenti intuitu vel inter
legatarius legeretur, vel inter hæredes in prima secun-
daque cera compareret. De quo ne cui aliquid dubii
hæreat, sedulo expendendum rogo, quod sæpe nomi-
natus Tranquillus cap. 66. memoriae prodit, eundem
principem hæredem ab ignotis nominari noluisse, quid?
quod legata vel partes HAEREDITATVM a quibuscum-
que parentibus relicta sibi aut statim liberis eorum concedere,
aut si pupillari ætate essent, die virilis togæ, vel nuptiarum cum
in cremento restituere consueuisse. Qnod insignis mode-
rationis exemplum certissime comprobat, quæ de O-
etauiani proposito in capiundis hereditatibus scripsi-
mus. Admodum enim timebat prouidentissimus
princeps, ne eodem, quo Iulius Cæsar, fato inuoluer-
etur, ne cum cæde & sanguine ad Cereris generum,
vt loquitur Iuuinalis, descenderet. Proinde omnia
confilia eo conuertebat, vt nouo imperio ciues lenita-
te adsuefaceret, idque amore, non vi, benevolentia, non
excubiis, fauore amicorum, non autem circumstanti-
bus telis tutaretur. Ea ratione patet, esse hoc in ar-
canis dominationis numerandum, quibus Augustus
oportune haud raro usus est.

§. III.

Probe namque intelligebat, fas esse non solum,

C 2

vt

20 CAP. IV. ORIGO HAERED. PRINCIPIBVS

vt ne aliquis maiori cultu afficeretur in monarchia, quam Princeps, nec illo magis diligenteret: verum etiam belle perspiciebat, nunquam placuisse Quiritibus sapientia florentibus, vt quis ignotorum hominum hæreditates anhelaret. Testis est Cicero in Philippica II. cap. 16. Antonium vehementissime propterea exigitans, inque inuidiam adducens, vt occasionem arriperet, grauius inuehendi in ipsum, vel vi, vel dolis, vel blanditiarum variis illecebris, vel denique subiectis falsis testamentis in multorum etiam ignotorum hæreditates inuadentem: *Te is, inquit, quem vidisti nunquam L. Rubrius Cassmas fecit heredem: & quidem vide, quam te amarit is, qui albus eterne fueris ignorans, te quem nunquam viderat, certe nunquam salutauerat, fecit heredem: velim mibi dicas, pergit, nisi molestum est, L. Turcelius, qua facie fuerit, qua statura, quo municipio, qua tribu? nihil scio, inquires, nisi que prædia habuerit: igitur fratrem exhaeredans, te faciebat heredem.*

§. IV.

Sicut vero ipsam virtutem imitantur homines scelesti, vt facto suo ostendant, quam elegantem formam habeat honestas; ita Tiberius in hoc imitatione expressit Augustum patrem. Nam Tacito teste, lib. II. annal. cap. 48. ea moderatione vsus est, vt nunquam adiret hæreditatem, nisi cum amicitia meruisset, IGNOTOS & aliis infensos evoque Principem nuncupantes procul arcebat. Cuius modestiae tametsi Dio histor. Lib. LVIII. mentionem non infert, vt qui omnium hæreditates cum sine distinctione adiisse scribit; tamen hinc innotescit, quid fecerit annis imperii primis, quamque

a

a se ipso defecerit postremis. Eo pertinet quod idem Dio subiicit p. 631. κατέλιπον δὲ δὴ πάντες ἀλγύς παῖς οἱ ἑαυτὸς ἀναρχούσενοι, ὅσπες καὶ τῷ Στίγμῳ, ὅτε ἔζη. Nuncupatus autem fuit hæres a plurimis, etiam iis ferme, qui se ipsi interfecissent, ut Seianus quoque, dum in viuis erat, fere ab omnibus hæres nuncupatus fuerat.

§. V.

Quod si quis, querat, quamobrem ab iis, qui sibi violentas manus intulerant, ad hæreditatem vocatus sit, is, & meo & suo iudicio intelliget, eo consilio ab exspirantibus id esse factum, ne in filios & propinquos truculenter lœvaret. Vix enim aliquid adeo bonum atque honestum est, quin in prauum flecti & in tyrannidem torqueri queat. Nota est Caligulae auditas, qui Suetonio auctore cap. 38. *testamenta primipilarium*, qui ab initio principatus Tiberii neque illum neque se hæredem reliquisten, ut ingrata residit. Item ceterorum ut irita & vana, quoscunque quis diceret hærede Cesare mori destinasse. Quos Suetonius primipilares, hos Dion centuriones, seu εὐαντάρχες appellat, qui magnis saepe diutinis ob luculentam commoda abundabant: quod Vegetii verbi Casaubonus ad hunc locum illustrat. Addit de codem Caligula Tranquillus: *Quo metu iniecto cum & ab ignotis inter familiaris, & a Parentibus inter liberos palam hæres nuncuparetur, derisores vocabat; quod post nuncupationem viuere perseverarent, & multis venenatas madreas miser.*

§. VI.

Ita Augusti propositum non malum in abusum vertebatur, ac quæ sit amicitia & benevolentia ciuium:

22 CAP. IV. ORIGO HAERED. PRINCIPIBVS

in metum quandam servilem partim ac ipsis principibus, partim ab eorum administris & magni operis adiutoribus transmutabatur. De Seiano diximus: de Tigellino Neronis amico & ex intimis libidinibus adsumto ac validiore in animo Principis Tacitus annal. lib. XVI. c. 17. narrat, *Anneum Mellam fratrem Senecæ venas iussu Neronis sibi exsanguinem in Tigellinum generumque eius Cossutianum Capitonem grandem summatum erogasse, quo CERTA MANERENT*, id est, quo ceteris suis facultatibus Tigellinus cum Nerone abstinerent, nec testamenti vires intringerent, iudicio & elogio suo contenti. Nec alia de causa Vir fortissimus Iulius Agricola Domicianum cohæredem vxori & filiæ suæ scriptis; hoc licet honore iudicioque lætaretur stupidus Princeps. Tam cœca, intonat acutissimus scriptor cap. XLIII. & corrupta mens assiduis adulatioñibus erat, ut nesciret a bono patre non scribi nisi malum Principem. Quo ipso indicabat, Agricolam non tam honorasse, quam valde meatusse Domicianum denotandis hominum palloribus faeuo ac rubente vultu intentum, & alienæ insimul rei appetentissimum. *Confiscabantur*, ait Suetonius cap. XII. alienissimæ hæreditates, vel existente uno, qui diceret, audisse ex defuncto, cum viueret, HAEREDEM sibi Cæsarem esse.

§. VII.

Cuius rei metum cum penitus sustulisset optimus Traianus, mirum non est, Plinium secundum in Panegyrico suo cap. XLIII. felicitatis huius meminisse; *In eodem inquit, genere ponendum est, quod testamenta nostra secura sunt: nec unus omnium, nunc quia scriptus, hæres.*

hæres. Non tu falsis, non tu iniquis tabulis aduocaris: nullius ad te iracundia, nullius impietas, nullius furor confusit: nec quia offendit alius nuncuparis, sed quia ipse meruisti. Scribaris ab amicis, ab ignotis præteriris: nihilque inter priuatum & principem intrefes: nisi quod nunc a pluribus amaris: nam & plures amas: Tene Cæsar, hunc cursum, & probabitur experimento, sine feraciis & vberius, non ad laudem modo, sed ad pecuniam principi, si herede illo mori homines velint, quam si cogantur. Ex quo cogitur, perperam diuinasse Lipsium, perperam Gruterum, perperam etiam in textum admisisse virum ceteroquin eruditissimum Christophorum Cellarium: nunquam scriptus es heres. Scriptus est vtique Traianus, sed ad momen Augusti: meruit, non arripuit: non omnium hæres erat, vt ille Domitianus, qui falso talem se gemitat nec cogitatus, nec scriptus. Ita rectius Thomas Hearne nosque cum ipso,

§. VIII.

Neque enim nefas erat, scribi hæredem, & esse, & fuisse, & adiisse. At inhiare ciuium bonis, rapere eorum facultates, sauire in cohæredes, hoc triste, & a ratione alienum, hoc Vitellianum. Vitellianum dico. Merito enim in acerbis refertur, quod de Vitellio litteris confignauit crebro laudatus Tranquillus cap. 14. Sed & equitem Romanum proclamantem cum raperetur ad panam, hæres meus es, exhibere tabulas coegit: vtque legit cohæredem sibi libertum eius adscriptum, iugulari cum liberto imperauit. Non sic, non sic principes boni. De Augusto & Traiano id euidentissimiis testimoniiis constat. De Hadriano Spartianus cap. XVIII. Ignotorum
hære-

24 CAP. IV. ORIGO HÆRED. PRINCIPIBVS

hæreditates repudiauit: nec notorum accepit, si filios haberent. Deo Antonino Pio similem modestiam Iulius Capitolinus cap. VIII. litteris ad posteritatem prodit.

§. IX.

A qua modestia cum penitus alienus esset Commodus Marci filius, qui imperatoria potestate in tyrannidem versa perditos superiorum temporum mores imitatus est, vsu venit, vt Pertinax Imperator etiam hac in re aliam viam insisteret, aliosque mores senatui populoque Romano commendaret. Huc pertinent, quæ habet Iulius Capitolinus cap. VII. Legem sane tulit, vi testamenta priora non prius essent irrita, quam alia perfecta essent, neue ab hoc fiscus aliquando succederet. Ipse que professus est, nullius se aditum hæreditatem, quæ aut adulatione alicuius delata esset, aut lite perplexa, aut legiūni & necessarii hæredes priuarentur: addiditque Senatus-consulto hec verba: Sanctius est, Patres conscripti, in opem Rempublicam obtainere, quam ad diuitiarum cumulum per discrimina atque dedecoris vestigia peruenire.

§. X.

Huius Pertinacis, vtut II. mensibus duntaxat regnantis & propter emendandi calorem a militibus extinti, consilium egregium, atque orationem Sapientiae præstantem meliores semper Principes ante oculos habuere. Innotescit quippe, Paulum Iureconsultum in sententiis Tit. V. n. 3. iam Seueri atate haud aliter rationes subduxisse, ac Principes cohortatum prudenter statuisse, eum qui leges facit, pari maiestate legibus obtemperare conuenire. Noli adseuerare, non esse quidem decorum, vt leges non seruet; sed si velit, nihil impedire,

pedire, quo minus legum decreta migret, Apage, repono, verborum ludibria, ad quæ nunquam se demisit Paulus. Non conuenit, non decet, inuerecundum est Iureconsulto quidem paria sunt; sed perinde est, ac si dixisset: non POTEST ille ex testamento imperfeclio capere: nec liberis temere præcipere hæreditatem. Præclare hoc, si quisquam docuit ac demonstrauit Gerhardus Nodtius, Vir doctissimus, *observationum lib. I. cap. IV.* itemque de iure summi Imperii ac lege Regia. Quin ipse Alexander disciplinam eius temporis prodit lege; *Cod. de Testamentis: ex Imperfeclio Testamento nec Imperatorem hereditatem vindicare POSSE SAEPE rescriptum est.* Licet enim lex imperii solennibus iuris Imperatorem soluerit; nihil tamen tam proprium imperio est, quam legibus viuere. Tu igitur dic, credidisse eius ætatis sectam, Principem quidem leges inutiles mutare legibus melioribus posse; non autem fas esse, vt, cum iple agit, & aliquid facit stante lege, eandem iis legem migret pro lubitu, & ex arbitrio. Quod aliqui in contrarium fecere Principes mali, ad ius non pertinet, sed factum rationi admodum contrarium: de quo nemo ICtorum disputat.

§. XI.

Iam vero cum sub Seuero & Caracalla ac proxime sequentibus imperatoribus præstantissimi vixerint Iureconsulti; eorumque libri in foro, scholis ac curia sint lecti, mirum non est, in mores hoc non gradu, sed communi quodam consensu irrepsisse; ita vt Constantinus publice sit fassus lib. 2. de *aduocat. fisci, POTIOREM apud se priuatorum causam, quam fisci tuelam esse.*

D

§. XII.

§. XII.

Igitur id certum, non displicuisse Imperatoribus, legum licet curiosis, vt & ipsi scriberentur & nunc parentur hæredes in testamentis; inque hoc hominibus singularibus æquarentur, nempe vt capiendi ius ex legitimis testamentis feruarent, perinde atque alii priuatis id facultatis est tributum. Nam et si dubitari potuisset, an lex XII. tabularum permitteret, vt Princeps, qui ciuum numero non est, capiat ex testamento, cum soli ciues cipient ac Quirites; nequam tamen hæc peruinere ratio poterat, postea quam Principes hæc parte nomen suum ipsimet inter ciues sunt professi. Nota quippe apud Tacit. lib. XII. annal. c. 5. vox est Claudi Imperatoris Vitellio roganti post pactum cum Agrippina contra mortem matrimonium, an iussis populi an auctoritatí senatus cederet, repenantis: *Vnum se ciuum & consensu imparem*. Non metat, legisse Theodorum Ryckium in codice suo: *vnum se & ciuum consensu imparem*; sed res eisdem recedit. Nec enim Ryckius insciatur, Principem sub genere ciuum comprehendendi: vt ut non erat vnum ciuum ex vulgo. Desumma hic reipublicæ agebatur, de legum publicarum vigore; quas cum murare populus contenderet, vnum se ciuibus non repugnaturum adfimat: quid? quod adeo potentem & validum fese negat, vt impedire populi consentientis suffragia queat. Deinde et si princeps ciuis non esset, sed capit ciuum; vix tamen cogitur inde, vt ne illi eadem libertas sit permittenda, que reliquis membris de corpore ciuitatis tribuitur, cuius est primarium caput. Quæ cum ita sint,

sint, non est profecto necesse, ut cum Accursio ad pre-
cariam rationem dubitandi contugiamus in lege 16. C.
de testamentis & quemadmodum &c. quasi non sani esset
hominis, relinquere ditoribus sua, eorumque cumula-
tare opes & augere thesauros priuatorum hominum
copia & facultates nimium quantum superantes. Me-
rito hæc dubitandi ratio a Iohanne Sichardo vocatur
puerilis. Verum tamen nec melior, nec sagacior est,
quam adfert ipse. Principi, putat, nihil donari: cum
eo ab inferioribus non rite contrahi: & hanc fuisse du-
bitandi causam: legata & hereditates donationibus vi-
deri similia. Sed iurarem, nec eo respexit Gratia-
num, Valentem, & Theodosium. Id exploratus, Au-
gustum eius rei auctorem primarium motuam Impera-
torum & ciuum benevolentiam animo proposuisse;
ac Cæsares, Principesque bonos eadem ratione mereri
suum amicitiam omni animorum contentione fate-
gisse.

§. XIII.

Sed quid est hoc, quod magno Theodosio in
mentem venit Cod. Theodos. l. 2. *de testamenti. & codicilliis* e codicillis & epistolis neque a se, neque ab
vxore Flacilla neque a liberis, puta Bella & Placidia,
Arcadio & Honore, neque ab amicis & administris
aliquid capi volenti? An adlegata & fidei commissa il-
la principibus reseruata libertas non porrigitur? An
eius ætate codicillis non relinquebatur firmiter? Et
non putem. Sit, inquit ipsem, *ille vsus inter priua-*
tos ratus: nemo conuellat, nemo impugnet. Adeo
l. 7. Cod. *qui testamento facere possunt:* personat vox Va-

28 CAP. IV. ORIGO HÆRED. PRINCIPIBVS

lentis Valentiniani & Gratiani omnium adhuc aures:
*Cum hæredes instituentur Imperator seu Augusta, ius com-
MVNE cum ceteris habeant. Quid & in codicillis & fidei-
commissariis epistolis iure scriptis obseruandum erit. Nec
repugnat l. 1. in princ. ff. de Iure fisci. Igitur rectius statue,
multo adstrictiore lege viuere voluisse humanissi-
mum Principem.* Hoc te doceat Theristii disertissi-
ma oratio de *humanitate Theodosii* recitata, que est
XIX. doceat quoque Symmachii epist. XIII. Lib. II. Ve-
rum, inquit, *hec recens sancio de fidicommissis & codicil-
lorum commodis ab optimo principe eternum repudiatas
tantum claritudine egreditur lucem superiorum, quantum
augustius est, regenti, sibi, quam subditis modunt ponere.
Atque vinam priuato avaritia mentem latoris intelligat &
mores de legibus trahat.* Neque enim later, quid sponte ce-
teros velit facere, qui suspecta compendia prius exhorruit.
Hæc ratio vera est, quam optime perfexit Iacobus
Gothofredus ad h. l. preeunte *Iureto*; sed quam vix
adtendit Iustinianus, fisci compendia non prorsus re-
pudiatis.

§. XIV.

Aui liberalitatem & moderationem ac documen-
tum sectatus Theodosius Iunior iuris nodum interpretibus
reliquit soluendum. Noluit is Principem hære-
ditatem adire ex testamento nuncupatiuo, si prius es-
set litteris rite consignatum. *Nolumus, inquit, Cod.*
*Theodos. de testament. lib. IV. T. 4. l. 5. conuelli defici-
entium scriptas iure ac solemniter voluntates, dum quoddam
morientis supremum, & non adscriptum processisse confir-
marur arbitrium, tanquam patrimonium suum ad Nos deficiens*
malu-

maluerit pertinere. *Omnibus enim priuatis & militantibus interdicimus, ne huiusmodi perhibeant testimonia: & falsi criminis rei teneri præcipimus, si cum scriptis iure ac solemniter deficientium extiterint voluntates, non scriptum aliquid sub Nostrorum Nomini mentiose falso adstruere moliantur.* Nemo itaque relictus, vel legibus ad successionem vocatus, Nostrum, vel potentium nomen horrescat. Nemo ferre testimonia in hunc modum, vel suscigere gestis huiusmodi voces audeat, Nostrorum, vel etiam priuatorum Potentium nomine. Maneat arbitrium, quod vera & solemnis scriptura commendat: excludatur, si quid adulterius eam, vel deficientis animum, sub defenda hereditate nostræ Perennitati, per testimonia non scripta & falso contexta adseveratur: Nemo scriptis proprium auferat robur, & non scriptis, sub praetextu Nostris, vel Potentium nominis, ingenerat firmamentum. *Dat III. Id. Mar. Constantinop. Theod. A. VII. & Palladio. COSS,* Plerique Doctores, quo se vertant, nesciunt. Testamentum, inquiunt, nuncupatione perfectum rumpit alioquin prius, ut omnibus legum numeris absolutum. Ecce igitur aliud hic valeat? ecce ab oratione, quamvis severissima, Pertinacis recedatur? Idcirco medicas huic constitutioni manus adferre laborarunt, alia omnia excogitantes, maxime cum ^a Triboniano in Cod. l. 20. de testamentis reselectam quodammodo legerint & truncatam. Præcipue vero Antonius Faber multa hic perturbavit, Pragmaticos *deca-*
de 68. errore I. II. III. seqq. castigaturus intempestive. Prorsus namque animum ille inducit, Theodosium nuncupatione huiusmodi vim tribuere noluisse, ni prius testamentum scriptum diserte sit reuocatum, eique per

30 CAP. IV. ORIGO HAERED. PRINCIPIBVS

postremum perfectum derogatum, in primis si penes se
retinuit testator primum non cancellatum, non indu-
ctum, non scissum; quod ea propter pro firmo habuif-
se presumatur defunctus, eoque nuda. reuocatione ne-
quaquam censeatur rumpi. Sed fallitur vir ceteroquin
acutus. Est hic de testamento per nuncupationem rite
consummato sermo, eiusque concursu cum tabulis scri-
ptis, quæ a posteriore nuncupato solo tempore vincuntur
recte arguente Iacobo Gothofredo. Quicquid
Theodosius Iunior hic peculiare statuit, non est iuris
communis, sed singularis; quandoquidem sibi ipsi vinculum
iniicit, aliisque potentioribus seueriorem legem
proponit scriptis hæredibus consulturus.

§. XV.

Proinde æque inania sunt, que is comparando
orationem Pertinacis cum Constitutione Theodosiana
in medium tulit. Frustra enim sibi persuadet Faber,
Theodosiam reiicere nudum vocis sonum principem
hæredem iactantis, perinde ac fecit Pertinax. Quod
non est. Hic enim, verba I. Gothofredi sequor, illegiti-
mas tantum voluntates repudiauit, non iure contestatas: quas
principalis nominis obtenuit iustas fore testantes putabant... At
enim Theodosius iunior hoc editio etiam legitimarum voluntatium
compendium a se abdicauit; & scriptis hæredibus consu-
luit.

§. XVI.

Istud vero penitus leue appareat, quando Theodo-
sium prohibuisse idem Pragmaticorum inspectator cen-
set, ne in testamento nuncupatiuo posteriori priuatus
scribatur, neue etiam Principi aliquid legati titulo sic
[relin-

relinquatur. Neutrum enim animo intendit Imperator. Potius hoc sensit, id præcepit, hoc iussit, ne sola virtus perfecta & contestata nuncupatione rumpatur testamentum scriptum prius, si Princeps debeat prioris testamenti heredibus præcipere destinata emolumenta: neiquam vero, ne priuatus nuncupetur heres, neve in huiusmodi postremo iudicio per verba declarato, ubi alius homo singularis scriptus est heres, Imperator, vel eius amici, aut alii potentiores aliquam ex legatis sibi dastinatis utilitatem perciperent. Quæ vniuersa atque singula cum luculenter exposuerit nominatissimus Gothofredus, longiori operæ supersedemus.

§. XVII.

Solum hoc addimus certiorem esse Pragmaticorum errorem, cui etiam Wissenbachius se fere mancipat ad l. 20. C. *de Testamentis*, quando Imperatorem, seu Principem in testamento nuncupatio plane non posse nominari heredem statuit: et si nemo folenni ratione est scriptus. Vbi enim hoc legitur? Quo in loco tam acerbe Theodosius præcepit vñquam? Hoc verum est, heredes scriptos excludere Principem in testamento verbis nuncupato: oportet esse scriptum. Non scriptis autem nihil iuris est ad impugnandum elogium postremum. Exceptionis ratio, quam e Donello repetendam iudicat Wissenbachius, ne vilius quidem terunci est. Quamuis enim indubium sit, voluisse Theodosium adsentationes & fraudes testificantium præcauere; non est tamen haec ratio sufficiens satis ad omnem hereditatem per nuncupationem reliquam Principi adiungendam. Utitur is iure communi testamento. At
iuris

32 CAP. IV. ORIGO HÆRED. PRINCIPIBVS

juris communis est, verbis quoque condi vltimam voluntatem firmam ac stabilem. Quin extra ambiguitatem omnem constituendum videtur, posse Principem hæredem legitime institui. Quocirca relinquitur, vt hic peculiare significetur, & Theodosius II. sibi aliquid libertatis eripuerit, quod priores Imperatores neurquam sibi credidere denegandum: nempe, vt testamentum nuncupatiuum posterius rumpat testamentū prius scriptum ac iure conditum: quod alioquin indubitati juris erat.

§. XVIII.

Enimuero alia longe quæstio habenda, an Tribonianus pari sensu Theodosianam constitutionem in Codicem repetitæ prælectionis intulerit? Et admodum credibile est, aliter eum intelligi istam voluisse; ita vt adeo absonus neutiquam sunt existimandi Bartolus cum glossa de testamento nuncupatiuo imperfecto dictam legem 20. exponentes. Cui non obest, geminam sic interpretationem a nobis stabiliri. Merito enim cum Iacobo Gothofredo aliisque doctissimis Viris repono, saepius id euensis, vt alia ab architectis imperatoria rum constitutionum sit proposita sententia; alia iterum a Triboniano, qui haud raro a primogenio Principum scopo vel ex ignorantia, vel data opera recessit. Hoc loco coniectura capitur, de industria eum deflexisse a genuina expositione, vt menti Pertinacis, aliorumque Iure consultorum congruentior appareret saepe nomi nata lex 20. eoque dubium nullum est, quin vti ex omni testamento legitimo & perfecto; ita quoque enunciatu secundum mentem Iustiniani cernere Prin ceps

ceps hæreditatem atque adire pro lubitu posuit. Multo minus autem in ambiguo ponendum, an e codicillis & epistolis legata capiat idem ac fideicommissa? De modo dispiciemus postea.

CAP. V.

DE

PROCVRATORIBVS CAESA-
RVM IN QVE PRIMIS HAERE-
DITATIVM.

§. I.

NVnc enim aliquid inspergusonum de Procuratoribus hæreditatum est, qui varii generis sunt. Illi, de quibus hoc loco verba facimus, procuratores erant hæreditatum patrimonii priuati. Quidquid enim Princeps ex testamentis consequebantur, ad rem priuatam eorumque patrimonium singulare ordinario iure pertinebat. Procurator vero is appellabatur, qui vel talia bona, vel fiscalia & publica administrabat.

§. II.

Sed optime animaduertit doctissimus Hadriensis Episcopus Philippus a Turre in *Monumentis veteris Antiquitatis* cap. VI, patrimonio Principis priuato oppositum fuisse publicum; eoque probabiliter colligitur, procuratorem patrimonii absolute talem & hæreditarium cducarum a priuati patrimonii curatoribus fuisse diuer-

E sum

34 CAP. V. DE PROCVRATORIBVS CÆSAREM

sum. Eorum, qui sunt de postrema classe, mentio fit in l. i. §. 2. ff. *de officio procuratoris Cæsaris vel rationalis.* EST hoc, inquit Vlpianus, *principium in procuratore Cæsaris, adire hereditatem, quod & eius iussu SERVUS Cæsaris adire hereditate potest.* Et si Cesar heres instituatur, miscendo se opulentæ hereditatem procurator heredem Cæsarem facit. Ne dicas, non id elucere euidentissime ex adductis verbis. Constat quippe aliunde, fiscum & priuatum patrimonium diuersâ fuisse atque istum quodammodo publicum, hoc proprio & priuato nomine ad Principem pertinuisse. Nam etiâ etiam fiscus res priuata appellabatur, atque interdum priuata ratio; tamen magis proprie id nomen ferunt priuatae & separatae Principis fortunæ ac facultates, quas nullo DIGNITATIS respectu possidet. Ipse Vlpianus res fiscales non absolute proprias & priuatas, sed quasi proprias & priuatas nominat l. ii. §. 4. ff. Ne quid in locis publicis. Quin Seneca *nar. èzxxv* in patrimonio Principis bona propria collocat *lib. VII. de benef. cap. VI.* eaque a fiscalibus & QVODAMMODO priuatis separat. Igitur merito adfirmatur, alios ærarii, alios patrimonii publici, alios priuati, alios prouinciarum, alios Romæ fuisse. Quod ut intelligatur accuratius faciam.

§. III.

Quare statuas velim, procuratoris vocem generalem variis ministris & administratoribus esse applicatam. Et primo quidem Cæsaris procuratores dicti sunt, qui colligebant in prouinciis tributa, de quibus saepissime varie querimoniae circumferebantur. Saltem Capitolinus cap. VI. auctor est, Antoninum Pium procura-

*curatores suos modeſte ſuſcipere tributa fuſſe; cum alio-
quin in bona prouincialium ſeuirent, ſibi que ea propter
maximam inuidiam conſflarent. Hocſe procuratores
Dio lib. 53. p. 506. ἐπιτρόποι vocat, eorumque munus fi-
gnate deſcribit: καὶ τοῖς γε ἐπιτρόποις, οὐ αὐτὸῖς ἀξιώματος
ἐνορά τὰ δεῖθρα τῶν διδομένων αὐτοῖς λεγουμάτων προσγιγνεται.
Sane CURATORIBVS iſis ipſum nomen officii ſui a nume-
ro pecuniae, quam acciperent, inditum eſt. Reprehendit
Bachouius ad περὶ τὰ Xylandrum, quod ἐπιτρόποι vertit
curatoribus, non procuratoribus: ut nihil habet argu-
menti. Simpliciter quippe & ſepiuſ curaſor pro procu-
ratore accipitur, ſicuti hoc praeclarē oſtendit Bynckers-
hoekius obſeruat. lib. II. cap. XX.*

§. IV.

Deinde a viris doctiſſimiſ obſeruatū eſt, Pro-
curatores Cæſaris non quidem ſemper; ſed aliquando
tamen cum potestate gladii fuſſe conſtitutos. Ita acu-
tiſſimi viři Philippus a Turre in monumentis veteris Antii
p. 71. & Bynckershoekius obſeruat. Iuris lib. II. cap. 20.
ſeqq. Quod etiſ quadantenus permitto; puto tamen
cum grano ſalis hoc eſſe capiendum. Potefas enim
illa eminens non eſt referenda ad pomœrium procura-
tionis, ſed alterius cuiusdam muneris. Vnde inſcriptio-
nes: PROCVRATOR ET PRAESES ALPIVM. PROCVRATOR
ET PRAESES SARDINIAE. Idque aliquando in minori-
bus prouinciis obtinuit. Nec nego, caſu quoque eu-
niro potuſſe, vt procurator ius gladii exerceret, nem-
pe ſi præſes, aut proconsul diem obiit, quoſque a Cæ-
ſare aliud ſubmitteretur. Adduxit hanc in rem emi-
nentissimus Noriſius in Cenotaphiis Pisaniſ locum e-

36 CAP. V. DE PROCVRATORIBVS CAESARVM

gregium ex actis S. Perpetuae a Luca Holsteno editis? Hilarianus procurator, qui tunc, loco proconsulis Minucii Timiani defuncti, ius gladii acceperat. In ceteris tam inuidendum ius vix obseruatur.

§. V.

Tertium genus procuratorum fisco praeerit. Hi rei priuatae procuratores appellabantur, vt possessiones & res Cæsaris in prouincia curarent, ve&tigalia colligerent, bona damnatorum, vacantia, commissa, thesauros, respicerent. Nostrates talia bona domania lumen nomine forte compellaturi essent. At sape contigit, vt qui fiscum curaret, etiam arario prospiceret. Vnde est, quod, licet pecunia publica, & pecunia Principis distincta sint; aliquando tamen illa inter fiscum & ararium differentia vix compareat. Memoratu digna sunt, quæ apud Dionem Cassum leguntur lib. LIII. p. 51. lit. D. adfirmantem, nescire se, quid inter Angusti & publicum era- rium intersit. Non est negligendum hoc loco, quod iam initio monuimus, fiscum sape patrimonium appellari; aliquando etiam rem priuatam. Sed vix inuenietur. patrimonii priuati elogio res fiscales insigniri.

§. VI.

Potius hoc rebus propriis Principiis vnice datur: simplex vero patrimonii appellatio etiam fisco tribuitur; atque haud raro patrimonii publici nomine venit. Vnde procurator patrimonii a procuratore patrimonii priuati nonnunquam secernitur, procurator rei singulariter priuatae a procuratore Cæsaris fiscalis. Habuerunt namque Imperatores haud raro fundos patrimoniales proprios: Charoul-Güter nostri nominam; multaque posseidebant, & acquirebant, quæ non tanquam Principibus, sed

fed tanquam priuatis & singularibus hominibus competenter. Duntaxat dolendum, non hasce semper notiones accurate fuisse distinctas, vnde auctoribus iunioribus frequens errandi causa, vt rei priuatae curatores commiscerent cum procuratoribus patrimonii priuati, atque hos iterum cum procuratoribus patrimonii publici, seu fisci, & procuratores fisci cum procuratoribus publici ærari. Accessit noua confusioneis materia, quando patrimonium priuatum etiam fiscum priuatum dixerit, ærarium fiscum ac contra, nec accurate amplius hæc duo, vti olim, seiuinxerunt. Quare id sit factum, si facile, qui mutationem Republicæ Romanæ circumspiciunt, & Principatus fastigium contuentur, intelligent.

§. VII.

Verum tamen tempus est, vt Procuratores patrimonii sine incremento a procuratoribus patrimonii priuati distinctos ostendamus fuisse. Protulit eam in rem inscriptionem Antii inuentam nominatissimus Aquillius & PROCVRATOR PATRIMONII & PROCVRA-
TOR HAEREDITATIVM PATRIMONII PRIVATI appellatur. Quod indicio est, Aquilum fuisse Procuratorem fisci publici, seu rei quasi priuatae procuratorem, cuius munia a procuratoris patrimonii priuati proprie sic dicti v-
tique differebant. Nemo turbabitur rei priuatae voca-
bulo, si recolat, quæ paullo ante obseruauimus, nempe
rei priuatae procuratorem & patrimonii seu fisci promiscue aliquando occurrere.

§. VIII.

Ab hoc igitur procuratore fisci caducæ hæredita-

E [3] tes

38 CAP. V. DE PROCVRATORIBVS CAESAREM

tes ex lege Papia, nec non vacantia bona ex lege Iulia
fisco vindicabantur. Quanquam & alius s̄epe & pecu-
liaris procurator his caducis est datus. Exhibit hanc
in rem Raphael Fabretti cap. III. inscriptiones tres, in
quibus PROCVRATORVM CADVCORVM IN PRO-
VINCIAIS mentio fit, quas cum Philippus a Turre in li-
bro sepe laudato cap. VI. excerpserit, nos opere & atramen-
to haud temere parcimus.

§. IX.

Consulto addimus *in prouinciis*. Erant enim tales
in vrbe procuratores, quales extra vrbel in prouinci-
is. Classicus loco occurrit apud Tacitum Annalium
lib. XIV. c. 54. n. 3. vbi Seneca Neroni opes suas of-
ferent: *Iube, ait, eas per PROCVRATORES tuos admini-
strari: ut taceam; quæ Theodorus Ryckius in ani-
maduersionibus ad Tacitum lib. XII. annal. cap. LX. n.
2. congesit. Ceterum memoriae imprimendum cen-
semus, Procuratorem patrimonii sibi adiecta prouin-
cia significare procuratorem in vrbe, qui ius habuisse
prærogatiuum merito creditur. Erat ei maior auco-
ritas, erat dignitas illustrior. Admodum placent, quæ
laudatissimus Ryckius observat: *Silicet duo, inquit,
erant genera procuratorum, unum summa rei, (*) alterum
unius duntaxat rei; virumque circa Principem, virumque
in prouinciis. Adiicio, Comitem rerum priuatarum se-
quiori æuo procuratori in vrbe simillimum fuisse. Et**

hic

(*) Est hic catholicus Rationalium, seu Procuratorum:
quod Iacobus Gothofredus ad legem 2. Cod. Theodos.
de distractib⁹ pignoribus bellissime enucleauit.

hic vero Procuratores omnes & rationales per prouincias sub se habebat, appellations ad ipsum deferebantur, aliaque munia exercebat, de quibus Pancirollus *in notitia Imperii orientalis* cap. LXXXVIII. in primis consulendus, &, qui hunc Gutheriumque non sine cura legit ac commendat, Hadriensis Praeful.

§. X.

Vtut vero non nego procuratores patrimonii seu fisci, tum in vrbe, tum in prouinciis potuisse quoque hæreditates principi a priuatis relietas exigere, ac sæpe id muneris esse datum simul; constat tamen, etiam hac parte procuratores interdum singulariter fuisse delectos ad hæreditates Principi delatas adeundas & rite colligendas. Intellexit hoc Paulus l. 35. ff. *ex quibus causis maiores PROCVRATOR Casaris*, inquit, *non solum cuius rerum prouinciae CVIVS QV E procuratio mandata erit, sed & is cui rerum, quamvis non omnium.* Ita hæreditates patrimonii priuati per peculiares sæpe procuratores & exactores sunt acquisitæ. Estque plerumque de iis sermo, quando procuratores hæreditatum, seu hæreditatum occurrunt. Prorsus enim falluntur qui hosce procuratores hæreditatum cum procuratoribus XX. hæreditatum commiscent. Vtrisque diversum munus impositum fuit. Quod non penitus comprehendit Petrus Burmannus in libello de *vedigalibus Populi Romani* cap. XI. p. 233. Nam vicesimæ hæreditatum in ararium militare inferebantur; hæreditates, legata, peculia Principi relicta peculiari arca continebantur. Meminit talium l. i. *Cod. de usuris rei iudicatae*, quæ est ab Antonio Procuratoribus hæreditatum inscri-

ptar

40 CAP.V. DE PROCVRATORIBVS CAESARVM

Pta: quin l.3. Cod. de quadrien. *præscript.* quæ est Iustiniani, CVRATORVM mentionem facit, qui *Substantiam suam* gubernent, eosque ac CVRATORIBVS separat, per quos res diuinorum domum agantur. Inter omnes vero, quæ hac de re inscriptions circumferuntur illam Gruterianam clarissimam censemus:

EXACTORI HÆREDITATIVM LEGATORVM
ET PECVLIORVM.

Neque enim quisquam, qui est paullo humanior, ambiget, neutiquam eam loqui de caducis, nec de XX. hæreditatum, sed hæreditatibus & legatis Principi relictis. Cui si addas alteram de M. Aquilio, quam laudauimus supra, res sane extra controuersiam erit constituta. Hic enim PROCVRATOR HÆREDITATIVM PRIVATI PATRIMONII dissertissime vocatur.

§. XI.

Non pigeat inuestigare, quinam huiusmodi procuracyi præpositi cuiusque illi conditionis fuerint? Tacitus in vita Agricolæ cap. IV. equestrem nobilitatem eius generis administratoribus tribuit. Tu vero caue, nobilitatem equestrem singlas, & peregrinas mente curbitas pingas. Schultingius bene in protis vocalana nobilitatis de *dignitate* exponit. Prorsus enim decipiuntur, qui hodiernis moribus delusi equites apud Romanos vniuersos & singulos in nobilium classe collocant; mirumque, sic sentientes non fuisse reductos in viam, cum hanc rem paullo luculentius illustrarem in dissertatione, an nobiliter venter? Faciam igitur publici ponи caussa, ut in diatriba, quam meditor *de equitibus municipalibus*, acutius videant, non habuisse equites per se

se nobilitatem, sed dignitatem: vtut a plebeio ordine distincus erat equestris. Primum falsum videtur, simulac pseudographema in rebus Romanis insigne: *Quicunque a plebeio ordine disiungitur, is sibi Quiritium nobilis est.* Verum id iam non ago: sed in transcurso, duntaxat vehementer errantes commonefacio, Tacitum nobilitatis vocula saepe improprie vti, atque iis nonnunquam hoc elogium tribuere, qui vtcunque se a plebeii separauerant. *Quod propediem demonstrabo* clariss. Interea vero Perizonii verba in Q. Curtio Rufo vindicato p. 55. gallicis quibusdam Thrasonibus opposita expendenda bono omne propino: *Crediderint boni viri homines equestris ordinis Romæ fuisse nobiles,* & vertunt ideo equitem Romanum CHEVALIER ROMAIN, cum nihil minus fuerint, immo nobilitati ordo illorum OPPONI, vel certe INTRA eam abiici soleat. Sed nibili hoc est pro eo, quod putarunt, siue equites, siue nobiles Romanos, ruri habuisse castella vel arces munitas habitationes siue, seu secessui destinatas, ut nunc fere ubique nobiles habent. At vero falsissimum illud est, nec ullo probabitur exemplo. Sed neque ratio Reipublicæ aut Imperii Romani id patiebatur.

§. XII.

Vt vero ad rem redeam, liquet sane hinc, quam non sit credendum Thomæ Reinesio *Inscript. Classe IX.* n. 43. sine hæsitatione libertos semper procurationibus rei priuatae exhibitos scribenti. Quanquam enim vero consentaneum, libertos quoque procuratores Patrimonii & hæreditatum inueniri; non fuit tamen id perpetuum. Occurrunt Viri præclari hoc munere funeti.

F

Clau-

42 CAP. V. DE PROCVRATORIBVS CAESARVM

Claudius Imperator Vestinum equestris ordinis ornamen-
tum in rebus suis detinuit. Eiusdem dignitatis in
Gruteriano opere LVCIVS PETRONIVS SABINVS EST PRO-
CVRATOR AVGG. STATIONIS HÆREDITATVM, pluresque:
alii, quos plena manu suppeditat monumentorum An-
tiatium nobilissimus Interpres: vt raseam, que: iam
ante ipsum Petrus Burmannus: de *Vedigalibus Populi
Romani* p. 234. in unum colligit. De cetero nemo in-
ficiatur aliquando etiam viliores huic muneri admotos.
Quid enim aliud Pallas Claudi(*) libertus, quam Pro-
curator eius Romæ perpetuo degens? Saltem Suetonio
cap. 28. a RATIONIBVS Claudio fuisse dicitur. Ra-
tionalis autem hæreditatium a Procuratore vix distat.
Saltem Lampridius in vita Alexandri Seueri cap. XLV.
Rationalem & Procuratorem promiscue accipit. Vnde
etiam rubrica digestorum de officio *Procuratoris Cæsa-*
ris, vel *rationalis lucem* sceneratur. Et hi sub se alios
ministros habebant. Inueniuntur TABVLARIH ADIVTO-
RES, puta, rationum confectores, alioquin calculato-
res dicti, quid? quod SVPPROCVRATORES, vt ex æterno
Gruterio pere sine negotio est ad docendum. De il-
lis non minus lapides loquuntur, iureconsulti veteres,
ac leges, cum maxime l. i. §. 6. ff. de *variis & extraordi-*
nariis cognitionibus; itemque Julianus in l. 8. Cod. Theod.

de

(*) Existimauit eminentissimus *Cenotaphiorum Pisanc-*
rum Scriptor. p. 506. & 291. Claudiu[m] Imperatorem li-
bertos huic muneri primum adhibuisse. Sed vix ve-
ritati, quod adfirmat, penitus, congruit: Antheros
hæreditatium procurator libertus Tiberii Imperatoris
erat? quod Marcellus Empyricus memoriae prodit.

de numer. act. habetque non spernenda Franciscus Amaya ad lib. X. Codicis de Iure fisci l. 2. Nec est negandum, eius generis procuratores Seruis quoque vlos, qui illis, vti coniicitur, a ministeriis erant in exigendis hæreditatibus, legatisque: immo vero Procuratoris iussu tales Serui adire Principi destinatam hæreditatem poterant, quod e lege Vlpiani §. 2. excitata innotescit.

§. XIII.

Dici vix potest, quam in hisce eruendis sudauerit Philippus a Turre. Etenim hic acceptum ferendum, vt nunc intelligatur perspicue, rationales non diu, sed anno duntaxat in officio durasse. Etsi enim Salmasius ad Lampridii Antoninum Diademum e. IV. e Spartanii Alexandro Seuero notat, eum *rationales cito mutasse, ita ut nemo nisi annum compleret;* id tamen Hadriensis Præsul longe diligentiori perquisitione adsecutus est. Quin mnemonicum forte sphalma Salmasii est, Spartanum nominantis, cum Lampridius adducta verba recitet cap. XLV. & NECESSARIVM MALVM rationales ab Alexandro Severo vocatus referat, Is vero incredibili pene labore e Codice Theodosiano inuestigauit, indubitateque variis exemplis, Chronologia in subsidium vocata, demonstravit, *Comitiuam rerum priuatarum, quæ cum procuratione patrimonii priuati eadem est, annum non exscessisse.* Merentur eam in rem legi extrema cap. X. Ex quo sine dubio prouenit, vt nonnullis inscriptionibus legantur PROCVRATORES PATRIMONII BIS, TER. Plura non addo. Nec enim infrequens erat, iterato ad tale munus adspirasse, idque obtinuisse.

F 2

§. XIV.

44 CAP. V. DE PROCVRATORIBVS CAESARVM

§. XIV.

Finirem hoc caput, nisi de fisco & ærario Reipublicæ nonnihil esset adspergendum, deque aditione hæreditatis per Cæsaris procuratores. Nam cum supra ostenderimus, etiam Rempublicam atque Vrbem Romanam potuisse hæredem nōmainari, eique legata relinqui, quæfio incidit, cuinam arcæ illæ hæreditates sint illatæ? Ego non dubito, habuisse oppida, habuisse Romanam ipsam *arcam*, quam omnibus municipiis, immo & priuatissimis societatibus ac proinde *Rome* multo magis habere permisum, vt est in lege i. ff. quod cuiusque *universitatis nomine*. Quanquam enim Vrbi, gentium & orbis Dominæ ablatum est ærarium neutiquam tamen illi ablata est *arca*, qua quandoque vetusto AERARI nomine, per simulacrum, est insignita. Atque hoc est, quod in mentem Petro Burmanno venit, quando ea de re in saepè laudato libello de V. P. R. cap. VII. p. 130. seq. differit; adiutus sine dubio Iacobi Gothofredi cogitationis ad l. l. de decuriis Vrbis *Rome*. Tom. I. p. 141. fiscum peculiarem vrbis Romanæ populo tribuentis. Hinc non mirum, obseruari etiam Romanæ ciuitatis FISCALIS, aliorumque oppidorum ac municipiorum RATIONALES.

§. XVI.

Quæ cum ita se habeant, inuestigandum est, an Procuratores Cæsarum potuerint per aditionem hæreditatis Cæarem illico hæredem facere? Dubitandi causa est, quod per procuratorem hæreditas adiri non poterat. Ipse etenim hæres obstringebatur, vt ne hunc legitimum actum per alium, sed per susciperet. Cui non

non obest, habere procuratores speciale mandatum idque facere, vt adire utique aliorum nomine possint. Facile quippe repono speciale mandatum operari quidem, vt hæres adiisse censeatur, non autem vt procurator demum adiret, sicut adeundo hæreditatis eum participem redderet. Quocirca denuo queritur, an procuratoris Cæsaris speciali mandato opus fuerit, vt proadeunte Princeps haberetur? Et non putem. Est enim hoc PRAECIPVM in Procuratore Cæsaris, vt misericordia opulentæ hæreditati Procurator hæredem Cæsarem faciat. Verba hæc Vlpiani sunt l. 1. §. 2. ff. de officio procuratoris Cæsaris. Quod demonstrat, inquit Iosephus Auerani Interpret. Iuris lib. I. cap. XII. in aliis procuratoriibus aliud cautum fuisse, nempe vt sine mandato non adirent, nec cum mandato cum vicissim Procurator Cæsaris misceret se opulentæ hæreditati sine mandato, & non opulentam idem adire posset cum mandato speciali. Ratio est, quod Procurator Cæsaris non erat simplex procurator, cuiusmodi sunt procuratores priuatum, sed patrimonii tam publici; quam priuati iura tuebatur. Igitur & ipse, & SERVVS Cæsaris iussu Procuratoris in opulenta hæreditate Principem hæredem reddebat. Vbi autem parum lucri ad Cæsarem redire, vel hæreditas soluendo non videbatur, Cæsarem ille consuere & voluntatem eius explorare debebat. Quo facto declarabat is, Cæsarem vel esse hæredem, vel non esse.

§. XVI.

De fiscalis reipublicæ non habeo, qnæ dicam. Sed prout tamen non tam illaum hæreditatem mandatario nomine creuisse, aut adiisse, quam voluntatem rectorum

46 CAP. V. DE PROCVRATORIBVS CAESARVM

ac decurionum ciuitatis indicasse, & quæ essent relicta, exegisse. Ex quo liquido infertur: ius igitur maioris partis in declaranda voluntate obtinuisse, ac procuratorem ærarii, seu fiscalem ciuitatis ex imposito sibi munere communis voluntatis fidelem denique interpretem egisse.

§. XVII.

Post declarationem sequebatur INCORPORATIO. Est peculiaris in Codice Theodosiano titulus *de incorporatione*, occurritque aliquid in Iustiniane lib. X. tit. 10. *de bonis vacantibus & incorporatione*. Sicuti enim bona vacantia, vel alias delata fisco in patrimonii publici corpus redigebantur, apprehensa possessione; ita dubium non est, simili ratione peractam fuisse incorporationem in patrimonium principis priuatum. Quamobrem statuendum merito, debuisse Rationales, adiutores, tabularios repertorium, omniumque rerum descriptionem confidere, ne quid furto subduceretur, ac respondere obnitentibus, si qui forte testamentum, aut in officio sum aut nullum, aut ruptum dicereant. Quibus rite peractis domui Principis adnecebantur acquisita, praediusque, si quæ ad hereditatem pertinebant, tituli adfigebantur, de quibus ceterisque omnibus multa adnotat πολυπαθεῖστος Iacobus Gothofredus l. c. Hinc sine solennibus iusti ac boni Principes nihil patrimonio suo, nihil etiam sacro seu publico addebant. Quin immo saepe suo affectui suisque utilitatibus aliquid detrahenentes bona propria imperio consecrabant, quod Traianum fecisse Plinius in panegyrico cap. L. auctor est. Nec dissimile de Tacito Imperatore Vobiscus cap. X. narrat

PATRI-

PATRIMONIVM SVVM publicante, quod habuit in redditibus
HS. bis millies octingentis. Publicare vero publico so-
nat deputare & sacrum facere, quod antea doméstico
illatum patrimonio fuerat.

CAP. VI.

DE

MODO, QVO PRINCEPS E TESTAMENTO CIVIVM SVCCEDEDIT.

§. I.

QVanquam Principes multis ac variis prærogati-
uis iuribus fulgent, ac priuatos homines longo-
post se intervallo relinquunt; tamen in modo
succedendi ex causa testati neutquam eos antecellunt:
immo sunt hic subiecti & imperantes sibi admodum si-
miles; posteaquam & Iustiniano Pertinacis sententia ar-
risit, nec alii post Iustinianum Principes, nec nostri
quoque Imperatores Germanici nec imperii ordines
ac Proceres diuersam, quoad constat, viam inuiuere.
Inde est, vt nulla Iureconsultis alia cognita sit norma,
secundum quam de eorum successione tum vniuersali,
cum singulari iudicent, quam quæ in legum corpore est
proposita.

§. II.

Ergo quidquid generatim in testamentis infirmum,
iniquum, illicitumque est: id nec Principis auctoritas
nec:

nec purpureus regalis fastigii splendor firmum, licitum ac iustum efficere potest. Non hoc loco adtenditur vel lex regia, vel illa toti orbi notissima vox: *Principem legibus esse solutum.* Nam cum patrimonia priuatorum non pertineant tanquam seruorum peculia ad Principem; sed vnuſquisque rerum suarum dominus sit atque arbiter; colligitur sane, vt nec illas sine cauſa, aut voluntate certa auferre is atque adimere subiectis possit; niſi quidem deſciscere a rationis oblequio cūpiat, & bellum inferre legibus diuinis humānique moliatur. Sed talis philoſophia nulli, niſi Turcarum Imperatori placebit, mancipiorum Domino, cuius subtyrannide languent omnia, libertate vniuersa in exilium pulsa, barbaro Rectore ſupra leges vniuersas exiſtente, nec tam rationis ductum, quam efferos affectus & ſtolidi animi commenta ſectante.

§. III.

Ceterum id largior, poſſe ſummos Principes aliam ſibi ſubditis legem in futurum dicere, ſi velint; ac pote quoq; ipſos met omnibus solemnibus exſolui, ſi de capiunda hæreditate, legatisque acquirendis quæſtio incident. Vti enim penes ipſos auctoritas eſt, & facultas permiſſendi, quo e militari testamento capiant scripti nuncupatiq; hæredes, quamuis alioquin talis testatio imperfēcta foret, ſi commune ius consulatur; ita ambigi nequit, habere eosdem parem potestatem præcipiendo, vt ſi qua ſibi hæreditatis, etiam ſine ſolemnitate, destinata ſit, illico iſta domui ſuę annectatur; & in priuatos loculos reſeratur. At an hoc videatur consultum, an a mori conciliando aptum, an ciuibis in officio continendis ac-

com-

commodum, alia quæstio est. Quæ enim, quæsto, calumniæ forent timendæ, quæ fraudes & technæ, quæ grassationes & expilationes, si ex quacunque voce hæredis nomen admitteretur, & notorum ignotorumque fortunæ ea ratione regentium, ac potentiorum cupiditatibus exponerentur? Atque hæc vero incommoda & iniuriam huiusmodi consequentia turbamenta bonos permouere Principes, ne sic sibi frena laxantes ciuibus conquerendi ansam darent, & vt imperium tandem excuterent durum, ipsimet suis moribus auctores essent. Igitur ad mortalium naturam, si alicui, principi profecto opus est, vt respiciat, isque hominibus ratione præditis, non autem brutis præesse se sentiat, quæ pastorum suorum barbariem non cernunt, nec opilionum inuecundiam vident, nec stolidas cupiditates, nec auaritiae stimulos obseruant. Ipse Tiberius haud temere in cornu tribunalis adsidebat, ne Praetorem curuli depelleret. Hoc Tacitus lib. I. Annalium cap. 75. inter arcaña imperii huius Principis merito retulit. Quod ita expono, quæsiuisse eum omni animi contentione moderationis famam, & ex ea reuerentiam legibus accessu ram credidisse, si & is quoque eas reuereretur. Probe namque sapientiores intelligunt, inanissimam hanc esse persuasionem, si quis Principem desinere credit, vbi quid facit tanquam c̄ivis. Quin immo vero rectius multo Plinius iunior rationes suas putat, quando in laudatione optimi Traiani hoc modo concludit: *Cui nihil ad augendum fastigium supereft, hic uno modo crescere potest, si se ipse submittat, securus magnitudinis sue.* Neque

G]

enim

50 CAP. VI. DE MODO QVO PRINCEPS

enim ab ullo periculo fortuna Principum longius abest, quam ab humilitate.

§. IV.

Potius nihil ad elegantiam pulchrius, vel ad studium multitudinis amabilius, vel ad claritatem nominis excellentius, quam humanam societatem ac ciuilem illam machinam iustitia tueri propriæque utilitatis immemorem omnium incolumitati, atq; obedientium iucunditati prospicere. Qui secus faciunt, non tam illustrem Regum ac Principum bonorum figuram exprimunt; quam illam illuuiem, atque sordidem Caligula, Vitellii, Domitiani, ac Commodi imitantur, indigni, qui in altissimo gradu viuant, dum ea tamen appetunt, quibus obscuri etiam homines afflunt, & mercatores habent, qui saepe cum potentissimis diuitiis certant.

§. V.

Sed non autem est credendum, vmbraeicos solum homines, qui intra Pythagoræ sindonem habitant, & Diogenis domicilium querunt, ita animum & orationem instituisse. Nostrorum hæc Iureconsultorum doctrina est, Marcelli, Modestini, Pauli, Vlpiani disciplina, Augusti, Traiani, Hadriani, Antoninorum, Alexandri, Theodosii, Honorii, Iustiniani probatissima seta, institutionum nostrarum ac legum, quas veneramur omnes, medulla ac sapiens præceptio, ne etiam Princeps sub maiestatis obtentu formam avaritiae squatore fœdatam induat, sed circa ultimas voluntates suorum imprimis modum teneat, & abstinentiæ laudem secessatus labem ac suspicionem sordium omni studio deuitet.

§. VI.

§. VI.

His igitur ex decretis conclusiones nostras effin-
gimus, indeque veritatem primariam deducimus: ex
imperfecto testamento nihil in excelso loco positis de-
beri, nihil ex illico affectu eorum fortunis adiici de-
bere, ac nihil denique, contra testantum voluntatem
ac legem, in patrimonium priuatum atque arcam, cum
imminutione iurium ciuibus competentium, esse fe-
rendum. Vno verbo: dum legibus se viecturos Prin-
cipes professi sunt semel, nec ab illa illustri specie se
deflexuros annuntiarunt omnibus; nos quoque qui ve-
ram, non simulatam iurisprudentiam profitemur, se-
cundum leges etiam de illorum actis, commodis, at-
que emolumentis iudicamus.

§. VII.

Quare Vinnio praeente dicimus: *duplicem esse im-
perfectionem testamenti: VNAM ratione solennium, puta si pau-
ciores, quam septem testes interuenient, aut si testes non si-
gnauerint subscripti suntque, vel quid aliud, quod ad solenni-
tatem ordinationis pertinet, amissum sit: ALTERAM ratio-
ne voluntatis, veluti si cum plura ordinare testator vellet, mor-
te interceptus fuerit, aut in ipso actu testandi furore corre-
ptus sit.* Sed addimus quoque legum tenori congruen-
ter, ex omni specie testamentorum huiusmodi nihil
Principes capere, sed vel haeredes ab intestato, vel in
priori testamento nominatos bonis defuncti plenissime
vti fruique.

§. VIII.

Nemo occinat, Principes esse milites hinc &
propria & suorum testamenta valere ut militum, firma-

52 CAP. VI. DE MODO QVO PRINCEPS

que videri ut parentum, in primis, vbi is, qui summus est in Republica, aliquid inde commodi reportat. Quin testamenta perfecta & iure communi cum omni solennitate condita rumpi, etiam si parentes, ac milites imperfectum condidere postea. Saltem hoc l. 2. & l. 34. §. vlt. ff. de *testamento militari.* & l. 21. §. 1. Cod. de *testam.* luculenter comprobare. Respondeo namque, testamentum iure militari conditum, ac testamentum paternum priuilegiatum non videri imperfecta, sed perfecta, omnique legis forma expleta. Iam vero cum perfectum testamentum posterius corruptat prius, mirum non est, subsistere ultimum, in quo nihil absolutionis ac perfectionis desideratur. Nec absorum, posse parentes dupli forma testari, hoc est, communi, & ex priuilegio: sufficit, amissata hic esse omnia: quid? quod perfectum habetur, vbi vel supra manus apposita, vel figuræ legibus præscriptæ nihil deest. At ut priuati vniuersi & singuli talia testamenta sine ceremonia condant, eaque pro consummatis habeantur, nusquam legitur, nusquam proditur, sed contrarium potius æterna & immortali Principum ipsissima voce statutum est. Accedit, non etiam tantum apparere sci ac Principum fauorem, quantus cernitur & est in liberis. Hi quasi domini sunt viuis Patribus fortunarum omnium, quas ii possident. Quare illorum ius, quo iam erant ornati, facilis reuiscit, quam nouum Principis nascitur, quod nunquam habuit, ac sine legitima ratione se nunquam, in præjudicium consanguineorum, accepturum sanctissime promisit. Tu vide &

con-

confule, quæ sepe commendatus Bynkershoekius lib. II.
obseruat, cap. II. in fine profert.

§. IX.

Verum tamen alia species est, quam nunc proponam. Finge, testatorem nullis liberis, nullis agnatis, cognatisque florentem nominare ac scribere Principem hæredem, scribere sine solennibus lege requisitis, at tunct erit hæres? Et pütēm, ratam fore defuncti voluntatem quoquaque modo significatam. Nemo enim est, qui hic excludatur. Testamentorum forma vero inuenta & firmata est, ne liberi, ne agnati, non cognati, sine solennitate ab hæreditate extorres fiant. Hic liberi cognatique non sunt: ergo fixum illud firmumque erit igitur.

§. X.

Sed fac amplius, quoddam municipium habere ius fisci; statue ad fiscum pertinere alioquin bona vacantia, cum hæredem non habeat vita functus. Non est verisimile, Principem habitum iri hæredem, vtpote imperfecto testamento aut nuncupatum, aut scriptum. Quid itaque iuris? Et hic ego iterum pro Principe statrem. Nam quamvis non negem, posse municipium, aut ciuitatem habere ex priuilegio ius fisci, quod de Nicensibus Plinius Lib. X. epist. 88. commemorat, nec in Germania quoque cauſa suppetit, quare id in dubium vocetur: experientia docente contrarium, dum aliquibus ciuitatibus quoque mediis vel priuilegio, vel præscriptione tale ius tributum est; neutiquam tamen satis argumenti subesse existimo, vt Princeps sic scriptus & nominatus excludatur. Ne enim dicam, pri-

G 3

uum

54 CAP. VI. DE MODO QVO PRINCEPS

uum eius generis ius non esse opponendum Principi bene merenti; etiam patefit, tum de num fiscum admitti, si nec legitimi, nec scripti hæredes eum impediunt. Quamobrem vnicce res eo reddit, an Princeps sit legitime scriptus? Causa dubitandi est, eum, qui solenniter scriptus non est, non videri hæredem scriptum. Sed deficiunt solennia: non adfuere testes plures: non subscriptio, non subscriptio uno actu consummata comparat, cetera. Hinc cogendum vtique aliquis existimet, Principis petitionem esse iniquam, & publicæ fidei, quam per leges sub ditione sua viuentibus dedit, penitus repugnantem.

§. XI.

Enim uero salua res est. Solennia quippe ac iusta testamento rum eo solum casu requiruntur, vbi vel liberis, vel consanguineis, vel ante legitime scriptis intercipiens dum est luculentæ hæreditatis emolumenatum. Hoc loco vero ratio illa æquitatis cessat. Nec forte erit quisquam tam ab omni iuris peritia alienus, qui statuta testamentorum solennia ad iuuandum fiscum statuat introducta. Potius tota fisci successio *divisa* est: quæ post omnes demum hæredes ex causa testati intestati que locum indipiscitur. Et is vero intestatus vix est, qui moriens testatur: *PRINCIPEM sibi futurum hæredem*, quanquam illæ ambages testamentariæ in utilitatem succendentium ab intestato excogitatæ aliquatenus deficiant.

§. XII.

Noli adfirmes, esse hanc decisionem admodum peregrinam, & iuri Romano, quod in testamentariis causis

causis ex regula sequimur, dissimilem. Timeo enim, ne te ab intellectu huius rei prava & erronea persuasio abducat. Loquatur pro nostra sententia Scæuola ex facto consultus in l.39. §.1. ff. de legat. III. PROPOSITVM est, non habentem LIBEROS NEC COGNATOS, in discrimine vite constitutum per infirmitatem, arcessitis amicis, Gaio Seio contubernali dixisse, QVOD VELLET EI RELINQVERE PRAEDIA, QVAE NOMINASSET, eaque dicta in testationem Gaium Seium redigisse, etiam ipso testatore interrogato, an ea dixisset, & responso eius tali pâliçia, id est, maxime inserto. Quæsum est an prædia, quæ destinata essent, ex causa fideicommissi ad Gaium Seium pertinerent? Respondit, super hoc nec dubitandum esse, quin fideicommissum valeat. Non me ingeram in disceptationes & controversias grauissimorum iuris interpretum, quæ de explicatione huius legis peritoribus notæ sunt, quasque Bynkershœckius quodammodo lib. II. obseru. Iuris cap. II. attigit; sed hoc solum agam moneboque, Romanos Iureconsultos benignissimos se in solennibus testamentorum remittendis exhibuisse, vbi vel succedentibus ex lege consulebatur, vel iis saltem nihil preiudicati & damni, nec aliis quoque ius quæsitum iam habentibus adferrebatur. Cuius rei suspicio cum hic evanescat, facessunt sane omnia argumenta, quæ minus rite Principem ea ratione hæredem factum significare videbantur. Nec desunt alia inspectiones huc pertinentes. Saltem doctissimus Bynkershœckius huc retulit l. 2. ff. de iniust. rupt. & irrit. facto test. itemque l. 12. §. 1. ff. de B. P. contra tabulas. & l. 21. §. 3. C. de lessam.

§. XIII.

§. XI.

Aliud *z̄t̄n̄mū* occurrit, an, si ipse Imperator, liberis agnatisque non extantibus, sine præscripta alioquin forma est institutus, fiscus Principis imperii sit præferendus? Et maius certe hic dubium nascitur, cum Principes imperii Germanici sublimi illo territorii iure polleant, & maiestate, analoga ex splendescant. Sed arbitror itidem, fisco tum demum locum futurum, si hæres non sit. Cum vero liberis cognatisque non impeditibus solennia ex paritate rationis censeantur remissa, dummodo de voluntate defuncti constet perspicue; consequitur plane, ut & imperator sine requisita solennitate nominatus fisco statuum imperii sit præferendus: cum & huius successio videatur anomala, & quamdiu voluntas morientis in sensu oculosque incurrit, ceteris omnibus ac multo magis Imperatori, merito posthabetur. Quod tamen vltiori meditationi aliorumque definitioni referuamus. Nos, quid interea arbitremur, indicauimus duntaxat.

§. XIV.

Ceterum & hoc scimus quæsitum: an Princeps bonorum possessionem petere queat secundum tabulas? Fac namque Principem legitima ratione & in legibus expressa ratione hæredem esse designatum; sed nascitur post confectum & plene pertextum testamentum posthumus. Stricto iure rumpi testamentum per talen agnationem, nemo est, qui nesciat. Ruptum nullum est. Ex testamento nullo nemo succedit. Igitur mortuo iterum hoc postumo nullum illud remedium superesse videtur, quam vt bonorum possessione vtatu

Prin-

E TESTAMENTO CIVIVM SVCREDIT. 17

Princeps. At qui sic enixe petit, aliquid maiestate & auctoritate sua indignum postulare creditur. Deinde, qui sic inhiat hæreditatibus, vt successores ab intestato excludere prætorio commento cupiat, is fordide cupiditatis & indomitæ avaritiæ suspectus fit: vt taceam Principem a se ipso petiturum; quod aut inane, aut veteratorium appetet. Verum tamen incolume ius est, & Principi hac parte propitium.

§. XV.

Vtut enim Prætoris nomen ipsaque eius iurisdictio in principatu euauisse & summus imperans propria auctoritate, remoto impedimento, succedendi facultatem habere videtur, aut etiam e iure ciuili ipse sibi auxilium præstare aptus censetur, vt pote qui talibus ambagibus neutiquam indiget, quales se etabantur Prætoris legislatoria auctoritate carentes; non puto tamen cessare hoc loco bonorum possessionem, nec Principi vertendum vitio, si ad hoc beneficium se se conuertat. Præterquam enim quod Romani Principes, qui tribunal prætoris, omniaque, que ii ex æquitate edixerunt, & in usum traduxere; nunquam & nusquam penitus sustulerunt; etiam innotescit, eum, qui bonorum possessionem postulat, aliquid æquitati conforme postulare. Vt autem in sublimi ætatem agens æquitate vtratur, & inde rem suam promoueat, sicuti nullo loco prohibitum; ita etiam quia prohibitum non est, permisum censi ri utique debet. Cumque Principes hac parte iegibus se se, vt ceteros ciues vincitos profiteantur, nec ius prætorium ullo statuto, aut lege sublatum sit; ego sane ambiguum non habeo; quin nec Princeps

H

eo

eo fraudandus sit beneficio. Qui vero ad vocem beneficii exhorrescunt, ii fulgure torrentur ex pelui. Si enim vlo loco ingeminanda est l. 18. ff. de iudiciis, DIGNITATEM non obesse sed prodesse, hoc certe casu fieri illud commodissime potest. Et beneficium autem hac in causa emolumentum sonat ex æquitate legibus approbata proueniens, quod non est auferendum Principi, siquidem is quoque nec possit, nec debeat auferre ius quæsumum aliis.

§. XVI.

Vbi autem Princeps petere honorum possessionem queat, haud est difficile ad coniiciendum. Quemadmodum enim hereditatis petitionem coram iudice ordinario instituit; ita hodie unusquisque magistratus & iudex competens obstrictus est, vt beneficia olim a Prætore indulta & exhibita, suo quoque Principi paratisime præstet: in primis cum nihil iniqui flagitet, sed quod omnibus ciuibus iure suo competit, postulet. Quin nec abnuam, posse eum, si bonorum possessionem intra statuta tempora impetravit, interdicto quorum bonorum salutariter vti, aut etiam ni petitorum displiceat, posse foriam hereditatis petitionem instituere, vt sic, quod sibi ex benigniori iure competit, debita ratione consequatur. Nemo cauilletur, nos Principem ad ciuum conditionem redigere: posse istum ipsum potius citare heredes alioquin ab intestato succedentes, qui si, post proposita edicta & arbitraria internulla, comparent, suique copiam faciunt, Principis audiant iustissimas significationes, & quare is, testamento licet iuris subtilitaterupto, ex tabulis nihilominus

nus & secundum lignum hæreditatem cernere cupiat. Quod quanquam non improbo; consultius tamen & supremi imperantis famæ conuenientius iudico, vt perfici aduocatum ordinario loco agat, & de iure suo experiatur, ne ciues arripiant calumniandi occasionem, qui superiorum facta, nescio, qua libidine acti, haud raro in deterius vertunt, & terreficeri se se temere clamitant, vbi nihil terroris reapse comparet, neque aliqua formitudo, nisi in cerebro vanitatem circumstrepit. Istud vero, quod de auaritia dedecore adfertur, nullius momenti est. Immunem enim ab hac eum suscipione leges præstant, & publice confirmata æquitas, Prætoris olim nomine ac curuli sella cohonestata.

§. XVII.

At seuerius paululum cum capite populi agendum est, vbi inofficiosi querela exsurgit, parentes illam moueant, an liberi? Aduersatur enim nunc iuri decantatissimo; posteaquam patriæ potestatis horridum carmen desit, liberos ab uniuersitate & ~~auidezororē~~ bonorum, quam viuo iam habuere patre, expelli sine causa nouelle constitutionis verbis expressa. Quid? quod suo iam tempore Paulus in *sententia lib. IV. tit. 5.* statuit, non esse dubitandum, quin testamentum, in quo Imperator scriptus est hæres, inofficium argui possit: ac conuenire vtique, vt *qui leges facit, pari maiestate legibus obtemperet.* Neque enim bonus pater, neque filius probæ mentis Principem horedem signat, nisi hic itidem sit malus, & patri filioque ad exhæreditationem præcipiti cursu properantibus similis. Immo etsi principa-

60 CAP. VI. DE MODO QVO PRINCEPS

cipali auctoritate euauisse iniuria liberis parentibusque illata videatur; non possunt tamen, nec volunt, qui fortiter & sapienter administrant rem publicam, nominis sui terrore efficere, ne iniuria sit iniuria, ne impium sit impium, ne itidem inofficium inofficium. Quæ res fecit, ut nec Principe ab hac querela immunem esse sepius rescriptum sit Vlpiano auctore l. 8. §. 2. ff. de inofficio testamento. Occurrit hic causa admodum prægnans; & multo iustior, quam vbi testamentum propter meras solemnitates omislas nullum dicitur. Pater enim & liberis violatæ *sororū* & quasi contaminatæ religionis rei manerent, si patienti animo iniuriam concoquerent, & depelli sese a possessione familiæ *europaꝝ* ferrent. Vnde non solum audiendi sunt, dum gloriam prorsus abiicere & omni dignitate orbari nolunt, verum etiam exceptione tamdiu dominum suum a possessione rerum hæreditarum amouere nouiori iure possunt; donec euidentibus argumenris signisque probauerit, filios tuisse ingratos, parentesque inofficiosos. Et si iam possessionem arripuere Principis procuratores, ad eum dirigenda est querela, quæ hæreditatis petitionem continet: vtut duo aëctus mente depingi queunt, nempe testamenti rescissio & hæreditatis persecutio. Quin abs nonum nequaquam, si mores hodiernos respicias, res mobiles & immobiles includi *areſtō*, iisque publico nomine manum iniici, si adhuc in loco domicilii inueniuntur, aut si diuersis locis sitæ sint, ex hæredem vtrinq; & vbiique fibi prospicere. Sed rogo iterum, ne quis ad *areſtō*ocabulum rugas contrahat. Princeps etenim hac parte ciui æquiparatur; eoque, dum leges reueretur, & earum reue-

reuerentiam se tuiturum pronunciat, ad iuris verba hor-
refcere sane nequit. Legendus hic est van de Poll de
exhæred. cap. LXXXII. §. 4. 5. seq.

§. XVIII.

Interea fac, querelam mouisse & testamentum in-
officio acclusæ liberos parentesque, & Principem
hæredem vincere, querentesque succumbere, an amit-
tent legata sibi adscripta & fideicommissa? an insuper
punitentur? De priori dubium nullum est, quin ea pef-
sum eant, ac fisco secundum legem 8. §. 14. ff. *de inofficio-*
fo testam. inferantur: vtut hodierno iure passim fere
concedi solent hæreditamentario. Quod vt cunque
sit, Principi profecto perinde erit, vthares testamen-
tarius accipiat, an vt fiscum representans. Sed eo ta-
men casu neutiquam de nihilo futura esset questio, si
ciuitati, in qua querela est instituta, ius fisci fuisset in-
dultum. Tum enim dominus ademptum neutiquam
lucrificaret, sed arca municipii hoc beneficio ornata.
Vt vero Princeps seueriori poena in calumniose que-
rulos animaduertat, non adeo quidem iniquum videri
posset. Nouum enim crimen est, Patriæ patrem im-
proba lite fatigare, cumque probandi onere moleste
grauare. Vnde poenam priorem propterea exigi
aliquis forte adfirmauerit, quia vani & impii actores
noua parentes vel liberos iniuria affecere: posteri-
orem vero Principem suo iure depositere, quod ipse est
lite improba, & quidem cum perseverantia pullatus.
Verum cum nullain iure durior poena sit statuta, quam
legati & fideicommissi amissio; & Princeps vero tan-
quam homo singularis & priuatus in successione & te-

H 3

stamen-

ſtamento conſideretur, non ſane proferre pœnarum li-
mites hic audemus, fed legem vt finitorem circumſpi-
cimus, qui terminet mulctarum odioſa compendia.

§. XIX.

At finge iterum, pepigiffe patrem cum filio,
ne Principi hæredi querelam moueret, sed exhae-
dationem, aut præteritionem æquo animo tolleraret,
an exceptione tutus foret ſic institutus? Antequam bi-
nas haſce quæſtiones resoluamus, monemus, ita nos
primam ſpeciem interpretari, ac circumſcribere, vt fi-
lius FVTVRÆ exhaerationi conſenferit. Et tum vero
Papiniani teſpofio locum inueniet, meritis prouocandoſ
eſſe liberos ad obſequia paterna, non auem paſlionibus ad-
ſringendoſ, Paulo hæc referente verba in ſententiis lib.
IV. Tit. V. n. 8. l. 35. §. 1. C. de inofficioſo teſtam. Ut e-
niim paſto non datur hæreditas; ita multo minus cum
iniuriæ ſuſpicioſe adimitur: adeoque nec Princeps ha-
bebit, quod opponat ita paciſcenti cum iuriſ effec-
tu, Id verum, non adeo iniquum videri, renunciare hære-
ditati, ſed non eſt hic mera hæreditatis renunciatio;
verum etiam iniuriæ, ad quam ferendam pater liberos
neutiquam adſringat fuos, ſed potius meritis prouo-
cket, vt vel ſponte omittant querelam, vel nullam con-
querendi cauſam impietate patris accipient: quod
probe obſeruatum a Stryckio noſtrate ſcimus de S. ab
intefato diſſertat. VIII. cap. XII. §. 44. Vnde diuer-
fa ſunt, renunciare hæreditati & renunciare querelæ
inofficioſi.

§. XX.

Simili ratione a priori diuersa prorsus quæſtio eſt,
an

an si ipse filius se exhæredem scribat, Princeps non solum per exceptionem hæreditatem sibi testamento delatam retinere quæat, verum etiam a probatione cause, ob quam exhæres factus filius, immunis sit? Et non dubitemus. Qui enim sic scribit, seu subscribit, fatetur in præsenti, testibus etiam videntibus, se merito a familia remoueri, & quodammodo expelli, adeoque ipsem nec querendi caussam habet, nec ad probationem exigendam, nempe, quod sit indignus, sati argumenti. Cur enim, si exhæres fieri noluit, ipse manum admovit? cur non intercessit, se ex metu reuerentiae id, quidquid est, peragere? ac cur nunc petat probari sibi exhæredationis caussam, qui ipse eius auctor est & architectus in ipso actu testandi? Extrema verba consideret benevolus Lector, ne aliquid repugnatiæ collatione priorum cum præsentibus eliciat. Qui enim in ipso actu testandi exhæredationis sue caussa est, non tam paciscitur, quam quod ipsem necesse cupit, reapple efficit. Pactum in futurum concipitur: hic præsentaria voluntas adest, Vnde nihil dubii remainet, posse Principem sic hæredem scriptum filio se ipsum exhæredanti merito occinere: *tu ipse conrare sententiam promunias.* Cuius rei vtut rara sunt exempla, non tamen prorsus deficiunt. Saltem Iulius Paulus eius generis thema refert l. 22. §. vlt. ff. de lege *Cornelia & falsis*, posteaquam quæsiuisset, an in poenam falsi incidat, qui sibi ipsi in testamento aliquid adscripsisset, addens, eum, qui voluntate patris se exhæredat, ab hoc metu liberari: ut taceam, quæ Ulpianus respondet l. 8. §. 6. ff. de bonorum possessione contra tab. si quis suo, inquit,

manus

64 CAP. VI, DE MODO QVO PRINCEPS

*manu se exhiberedem scriptis: an contra tabulas bonorum posse
fessione possit accipere, videamus; & Marcellus: libro nono
digestorum, nocere ei hanc exhiberationem, ait: quia senatus
hoc pro non scripto non facit, quod contra eum est.*

§. XXI.

Qyod cum ita se habeat, alterum iam in luce erit constituendum, an filio in præteritionem etiam in ipso actu testandi, consentiente, Principi hæredi sit relinqua defuncti substantia? Et fateor, posse alicui in mentem venire, non aliam decisionem fore expetandam, quam quæ a nobis de filio se ipsum exhiberdem scribente est probata. Sed cum tamen argumenta hic compareant dissimilia, legumque discrepantes rationes, vereor sane, ut eadem definitio queat huic exemplo aptari. Neque enim possunt renunciantes repudium mittere iuri publico, vetanti, ne filii familias posthabentur, sed potius volenti, ut aut rite & iusta de causa exheredentur, aut instituantur. Primum non appetet: secundum non cernitur; eoque aliquid contra leges obseruatur, earumque formam, quam nemo mutare, nemo remittere potis est. Vnde vix stringit, quod Gomezius, Vafquius, Cyprianus, Regnerus aliique dari sibi postulant, versari hic ipsius præteritæ sobolis fauorem; hunc autem ut quis dimittat, vetitum non videri; beneficium nemini obrudi, facere igitur iuris ac beneficii dimissionem, ut testamentum in fauorem Principis conditum firmissime subsistat. Tota enim res eoredit, an merus hoc loco occurrat præteriorum liberorum fauor? an ius non repugnet? & an volens velle possit iure? an renuncians habeat facultatem

tem renunciandi? Id certo intelligo, datam propterea fratri bonorum possessionem ex causa fratris in patris silentium consentientis, datam, contra tabulas: quod fieri sane vix potuisset, si talis in præteritionem consensio omni iure fuisse stabilis. Qui dominium, quod viuo patre iam in familia habuere, amittere debent, illi non sine solennitate & vi quadam efficaci inde depellendi sunt. Præteritio nihil operatur: cui quanquam consensus & confirmatio præteriti accedit; tamen non existimat Prætor, eam magnopere tuendam esse. Ipse equidem remittens agere non potest, vt pote cui exceptio pacti dolique oblitus: sed nihil impedit, quo minus fratres aliique ex causa intestati hæredes testamenti tabulas oppugnant. Immo permitte, fauore liberorum omnia esse constituta; tamen non consequitur, vt necessitatem instituendi, aut ex hæredandi aliquis remittere queat. Infinita in iure nostro inueniuntur exempla, vbi occurrit fauor & nihilominus solennia mutari nefas est, quippe quæ iure publico fulciuntur. Et hic vero in primis animaduertendum est, continuari dominium patris in filium, a quo is silentio solo, aut pacto remoueri non potest. Quod præclare a Iosepho Aueranio legimus obseruatum *interpret.* *Iur. lib. I. cap. X.*

§. XXII.

Non minus intricatum est, an, si filius silentio prætermisssus, ex post facto abstineat, Princeps institutus succedat? Atque est forte non dissimile vero, succedere posse. Sublato quippe impedimento nihil causæ superesse videtur, quare is in hæreditatem non eat. Sed considerandum vtrique, Principem aut successurum ab intestato, aut ex testamento. Ex hoc successionis spes

nulla est, quia testamentum ob filium silentio prætermissum nullo robore sustentatur. Ab intestato autem ut defuncti possessiones & facultates habeat idem, eam ob causam inane est, quia Princeps filius non est, aut agnatus, aut cognatus a lege vocatus. Ex quo, relinquitur, vt nihil solatii eum maneat, et si abstinentia sua Principi vacuum locum fecisse filius videatur. Quod si igitur aliquid lucrifacere e testamento cupiat supremus imperans; rursus ad æquum & bonum consurgat necesse est. Omitto Prætoris nomen; quandoquidem iam innotescit, eam benignitatem Prætoris inuenio acceptum ferri; illaque frui ad unum omnes, si eius debita ratione participes fieri satagant. Verum tamen haec illa species est, ubi, cessante bonorum possessione contra tabulas, obtinet bonorum possessio secundum lignum. Præponitur nimirum, filium præteritum abstinuisse, & fratres agnatos cognatosque quiescere, ut habent bonorum possessionem contra tabulas, quando filius vel consentiens vel abstinenſ est præteritus. Eo respicit Imperator Alexander in l. 2. C. de bonorum possessione contra tabulas, dum BONORVM possessio nem, ait, secundum tabulas locum habere non posse, si petita sit bonorum possessio contra tabulas. A quibus? Haud dubie a fratribus ex persona fratris præteriti, aut aliis agnatis cognatisque. Ut sic arguam, non solum Romanarum legum decreta efficiunt, sed solidissima quoque Aueranii argumenta, quibus hanc rem mirum quantum illustravit Interpr. Iur. lib. I. cap. XI.

§. XXIII.

Sed tempus est, vt Pertinacis orationem excutiamus, non admissurum se hereditatem eius, qui litis causa Princ,

Principem reliquerit hæredem, neque tabulas non legitime factas, in quibus ipse eam ob causam hæres institutus erat, probaturum. Nugas vendunt Theophilus cum Accurso, Principem duntaxat ex tabulis rite ac legitime non confectis hæreditatem non aditum: secus, si essent ad iuris normam præscriptumque compositæ. Quod prorlus orationi Pertinacis aduersatur. Minus enim hic sibi permittit, quam cuiquam priuato. Hoc Fabrotus & Vianius belle animaduerterunt. Nam Pertinax etiam tabulas in lite ac causa perplexa rite ordinatas generoso spiritu respuit, minus hic sibi permittens, quam homini singulari, cui litigiosa relinqui hæreditas iustis tabulis potest. Ait enim Paulus I. 8. §. 3. ff. de alienarij iudicij mutandi causa facta: **SED hæredem instituendo, vel legando, si quis alienet, buic edicto locum non esse.** Neutiquam igitur senatusconsultum sub Helvio statuit, litis causa Principem institui hæredem in tabulis rite confectis: sic enim nihil peculiare proposuisset. Fuit hoc semper licitum. Potius nec lege ordinatas probaturus est, si quis Principem inimicitiae causa adversario opponat suo. Imitatur Pertinax Augustem, & qui hunc sestatu est, Tiberium, qui infenso aliis succedere nolebant, multo minus principali nomine terrere istum cupiebant, vt ius suum relinquere indefensum. Neque enim obscurum est sæpiissime morientes potentes homines secum certantibus objecisse, vt illi inhonesti lucri capture inuitati auctoritatis ac potentiae suæ præsidio eriperent aduersariis, quod iuris fauore exprimere desperauerant viui. Hinc contra fas existimabant Iustinianus cum Pertinace, calumniæ facultatem ex principali capere maiestate. Agnoscent huius rei

periti Pauli verba lib. V. sent. tit. XII. & I. pen. ff. de hereditibus instituendis. Num vero Pertinaci hoc debeatur primum, facti quæstio est. Id exploratum, Diuum Pium respuisse iam tanquam inuidiosum, litem, qnam cum alio habemus, donari fisco. t. 22. §. 2. ff. de Iure fisci. De testamentis atque ultimis voluntatibus vero nihil adhuc proditum. Vnde credibile, sub Commodo inualuisse nouum commentum, vt debitum in nomen Principis, sub obtentu hereditatis relicta transferretur. Sed non solum istud collodium; verum etiam hancce calumniam noluit admittere humanissimus Pertinax.

§. XXIV.

Quem morem bonum eo quoque protendendum iudicamus, vt ne coniugem liberosque Augusti ita institueré liceat. Saltem ratio nequaquam dissimilis est. Qui Iouem timet, etiam Iunonis marito in aures gannientis iras seueras horrescit. Cui non obstat, Augustam vti quidem iure communi, non autem iure singulari. Hoc autem ius singulare & a communi seiuinetum esse, neminem ambigere. Ad quæ facilis responsio. Ius singulare nouum non est facile protrahendum ad consequentias, quod subiectis nocet, & Principibus dedecori, aut damno est. Sed non arbitrer, aliquid inde calamitatis redundaturum in priuatos, multo minus dedecus incursum summa potestate præditos, vt pote ad quorum laudem & dignitatem potius tendit, eadem dengare fortunarum suarum sociæ, ac liberis de suo splendorc ac felicitate participantibus, quæ nec propriæ moderationi, nec maiestati, quam a lordibus quibuscumque liberam esse oportet, conuenirent.

§. XXV.

§. XXV.

Paulo magis anxius nos habet alterum thema e publica nostri imperii iurisprudentia petitum. Scripsit Princeps Cæsarem hæredem in terra libera, aut hæreditaria litigiosa, de qua longa in imperii tribunalibus disceptatio inualuit. Non est fere dubitandum, factum id vexandi animo; nec ausuros forte supremorum iudiciorum adseffores, vt contra Imperatorem sententiam proferant. Scimus etiam, quæ Welphis contigere Principibus, quando eorum bona auita, & quas in Suevia dittissimas tenuere possessiones, ad Hohenstaufforum gentem, inque primis Henricum VI. sic fuere traducta. Saltem Weingartense Chronicum defacti veritate ambigere nos non sinit. Et certissimum est, Imperatorem absoluta auctoritate præditum, de iure neutiquam sic nominari posse: vtut alioquin res litigiosa testamento licite relinquitur. Quod non obseruauit Ioannes Schilterus Inst. I.P.lib. II. tit. IX. rationem edicti prætorii de alienatione iudicij mutandi. cauſsa hoc loco in subsidium aduocans, quod tamen ad ultimas voluntates non pertinet. At vertitur controuerſiæ status quodammodo, si consideremus primo, Imperatorem hodie tanta potentia & libertate statuendi non pollere, quanta Principes eminuere Romani; deinde si fingamus, eum non vt Imperatorem, sed vt Austriae Archiducem aliquum imperii statum ita fuisse designatum hæredem. Quemadmodum igitur ratione cœſſante, ipsa legum dispositio cœſſat; ita etiam non video, quare Cæſar, vt Cæſar, institutus Principum electorum iudicio submittere totam cauſam, & eorum dein arbitratu fuscipere nequeat, quod aduersario de-

70 CAP. VI. DE MODO QVO PRINCEPS

functi solenni ac iusto iudicio est ademptum. Non est autem credibile, Electores omnes sic futuros timidos iustitiaeque immemores, vt ne, quid fas & æquum, auctoritate sint pronunciare. Habemus hac parte imperii præxin, quando Maximilianus I. in causa Geldrica Electorum iudicio rem omnem commisit; eorumque arbitrio stetit: quanquam Carolus Gelder ab eo temerario ausu recessit: de quo Pontanus & Schlichtenhorstius consulendi. Ut vero Austriae Archiduces ab omni spe hereditatis consequendæ depellantur, quoniam hi imperatoria simul maiestate fulgent fortasse an durum foret atque iniquum.

§. XXVI.

Dum hæc scribo in mentem incidit, an Principes ab ignotis hereditates sibi delatas adire, sine imminutione iustitiae, queant? Supra enim intellectimus, fuisse eorum nonnullos adeo severos morum cultores, vt & horum testamenta inque iis relicta sibi commoda magnanimi repudiarent. Quin nec ab simile vero, eum iusto iudicio, deliberatoque animo vix honorari, qui scribitur ab ignoto sibi, quem demeruit nunquam, cui nihil fauoris impendit, qui nunquam eum vidit, nunquam salutauit: sicut vicesim Romani ignominiosum existimarunt, ab amicis præteriri: quod egregie illustrat doctus Abram in commentariis ad Ciceronis *Philippicam* II. cap. XVI. At cum in oratione Pertinacis atq; institutionibus nostris nihil extet de ignotorum hereditatibus respuendis saeppe fama Principis etiam de facie ignotos commoueat, vt, quem foueant amorem atque obseruantiam, ultimo elogio significant; non puto, id nunc fore iniustum: præfertim si fraudis suspicio absit, nec metus, nec adulatio aliis damno-

damnoſa in oculos incurrat. Id autem ſine fraude atque ambitu fieri aliquando poſſe, exemplum fortiffimi Principis Eugenii comprobat, quem magna Britaniiā virgo nunquam forte viſum cognitumque hæredem signauit.

§. XXVII.

Maioris operæ pretrium eft, indagare, an teſtamentum, in quo Princeps hæres ſcriptus, ei offerti poſſit iſque inde relictæ hæreditatis compendia lege non prohibente ſperet exigitque? Tanquam noriſimum præponimus, feciſſe & ſtatuiſſe Honorium cum Theodoſio, l. 19. Cod. de Teſtamentiſi &c. vt ſola Principis conſcientia & præſentia ſufficiat, ſi ei ciuiſ offert teſtamentum, nec alia ſolennitas requiratur: etiamſi Princeps nihil reſpondit, & ſolus fuit, nec teſtes præſentes vlli. Ultima hæc aſſertio, quanquam Donello diſplicet; aliis tamen haud temere arridet, qui o‐mnia Principem ſolennia ſupplere eiusque conſcientiam ſeptem aliorum teſtium ſubſcriptionibus ſigniſque æquari probe tenent. Enim vero ſcrupulus haud qua‐ quam leuiſ eſt: more maiorum Romano ita comparatum fuſſe, vt vel, in minimis rebus homines ampliſſimi teſtimoniū de re ſua non dicerent, eoque non fieri poſſabile, Princepem migraturum hunc morem reſta‐ ratione ſuſſultum. Dum enim omnes lege ceteroquin requiſitos teſtes repræſentat; tanto elucet magis, eum in propria cauſa teſtari: quod non videtur ferendū. At eum e contrario conſidero, quo paſto Princepi offeratur teſtamentum a teſtatore, in aliam plane ſententiam con‐ cedo. Vix enim aliter peragitur, quam ſimiſi preciibus inſerta formula: *Hæc vti biſ tabulis ceriſue ſcripta ſunt, na‐ do,*

72 CAP. VI. DE MODO QVO PRINCEPS

do, ita lego, ita teſtor: itaque tu Princeps recipias, ac te recepisse testimonium perhibeas. Nemo non videt, Principem ſic nescire, quod contineat oblata hæc vltima voluntas. Quænam igitur poterit in eum cadere ſufpicio, qui ſe heredem nesciat: aut cur ei fides non habeatur, qui ſe ſuē cauſe adhibitum eſſe teſtem ignorauit? Aut ſi permittente teſtatore reſcierit aliiquid, tanto dignior, cui credatur, cenſeri debet, argumento eius, quod in impuberum & alis ſubſtitutionibus uſu venit, vi ſi vacet omni ſuſpicione inſidiorum, cuius mores teſtator hereditatis prämio honorauit. Verba & argumen ta hæc Guilielmi Fornerii ſunt ſelectionum lib. II. cap. XII. Iureconsulti non ex triuio, ſed vltra vulgus doctorum ſapientis & p̄eclare omnibus litterarum p̄efidiis exculti. Prætero, Ciceronis ætate etiam heredes signaffe. Ita enim iſ in oratione pro Milone: Cyri teſtamentum palam obſignauit cum Cladio: & illum heredem & me ſcriperat. A quo more quamuis recessiſſe videantur Romani ſecundum Vlpiānum l. 20. pr. ff. Qui teſtamenta facere poſſunt &c. neutiquam tamen inde patet, Iureconsultum hoc etiam de teſtamento Principi oblato intelligi cupiuiffe, de quo mo re nondum aliiquid innotuit. Quid? quod ſunt per multi, qui Triboniani manu nonnihil infartum diētæ l. 20. exiſtimant. Iuſtinianus enim hoc ſibi inuentum foli tribuit, vt ne amplius hæres in teſtamento teſtis eſſe queat. Vnde nouum iterum argumentum ſuſpiciatur, cogitaffe & hunc de teſtamentis priuatis, non autem de teſtamento Principi oblato, in quo ipſe forte ſcriptus ſit hæres. Mirum eſt neque Taborem, neque Stryckium de teſtamentis Principi oblatis ſpeciatim commen tantes aliiquid hac de ſpecie in medium adul-
tulis-

tulisse. Sed addo interea, Principem non tam testem de omnibus rite scriptis aduocari, quam sibi oblatas tabulas recipere, quo facto nihil solennitati actus deesse, sed omnis formæ defectum augusta suppleri notitia palam fit.

§. XXVIII.

Ceterum non abnuo laudabilius ac verecundius facturum Principem, si sciens se hæredem esse, iure sibi concessio non vtatur, sed excusat se, & testatorem ad iudicem ableget, aut consiliarios suos, aut alio modo ad obseruanda solennia eundem cohortetur. Quod si vero ignoret, quid in tabulis a se receptis contineatur, absconum profecto foret, & improbum suspicione gravare Principem, qui nullam suspicioni anfam dat, nec technis vñsus est, sed inscius rem suam agi, tabulas innocentissima ratione in scrinia sua reponit.

§. XXIX.

Id magis dubium, an si Tirius testator scripsisset:
**PRINCIPEM SIBI HAEREDEM FVTVRVM EX ASSE,
 SI ET IPSE SE SCRIPSERIT HAERDEM, AVT LEGARIT NONNihil.** Notum est omnibus, videri hanc institutionem captatoriam, contra quam vafritem leges insurrexere, hocque hominum genus aliorum hæreditatibus inhiantium sollicite coerulere. Quid igitur hoc loco dicemus? Fac enim conditionem adiecitam esse shamata, ac turpem, forte habebitur illa prou non adiecta. Si hoc, Princeps erit hæres; qui sane captor non est, sed captatus, siue scripserit Titum hæredem, siue non scripserit, siue legato honorauerit, siue non honorauerit. Et fateor hac me usurum sententia,

K

tia,

74 CAP. VI. DE MODO QVO PRINCEPS

tia, nisi senatus institutiones captatorias improbassem in totum. Et certum vero, esse hanc institutionem captoriam, non bona fide, sed ea fine factam, ut & Princeps eum in futurum scriberet, quod est captatorium & improbi stellionis aliorum hereditatibus vel legatis perniciose inuigilantis propositum peruersum. Ac tales institutiones improbassem senatusconsultum Papini-anus & Paulus auctores sunt. l. 70. & 71. ff. *de heredi-bus insituendis.* Sumo iam, Principes ad ius communne alligatos in adeundis hereditatibus se profiteri; id circa per se consequitur, ut Princeps haeres esse nequeat, quem non honoris caussa nominauit Titius, sed capienda hereditatis gratia, coruus, vultur, vel, si mavis, insidiator vulpes.

§. XXX.

Vti vero exploratum, Principem sub conditione institui posse, quemadmodum insituuntur homines singulares, nec, ambiguum interea, obseruanda vniuersa, quæ aliquoquin legum Romanorum decreta de conditionibus institutionum ac legatorum præcipiunt; tamen nondum satis perceptum & cognitum est, quid de difficultate conditione Principi adscripta habendum? Finge enim Principem obeso corpore ita signatum heredem, ut in montem Melibocum pedes adscenderet, aut cataphractus ducenta passuum millia ambularet. Clarum est, talem conditionem non habendam pro impossibili, nec simpliciter pro turpi. Difficilem esse nemo hesitat. Iam cum liberum sit testatori heredi conditionem dicere, qua impleta in possessiones suas demum succedat; videtur sane, nec Principem habere, quare de iniuria sibi illa-

illata expositulet. Potest enim non adire hæreditatem, potest spernere lucrum sibi gracie, potest auertere ocu-
los a hummis sibi non pure, sed sub conditione destina-
tis, nisi hanc exacte & ad vnguem implere cogitet. Te-
stator hæredibus suis legem fert: dominus est, iubet,
quod nec in causa Principis aliter se habet, cum suc-
cedere ciuibus ex eorum arbitrio & electione gesit.
Quod quanquam speciosis argumentis proponitur;
non existimo tamen hanc conditionem a Principe de-
core iri impletum. Quod vero Principi indecorum
est, illud merito pro derisorio, nec pro difficulti dunta-
xat habetur. Derisorium pro non adiecto est: valet
testamentum: firma est institutio: vtut forte homini
ex triuio, aut opifici, aut mercenario obesi corporis
non foret virtus vertendum, si pedes montem difficulti
atque arduo adscensu supereret, si cataphractus & lorica
indutus aliquot millia passuum sudore obrutus absoluat,
eaque ratione conditioni ac voluntati defuncti obtem-
peret. Nec nocebit, et si id effici a principe posse ac
debere crediderit, nec huiusmodi aetum indecenter ab
ipso exigi posse vane sibi testator persuaserit. Minime
namque morientium stultis voluntatibus obsecundan-
dum, sed iis potius obexpoundus. Sufficit, ab omni-
bus, qui sapiunt, & de principum conditione augusta
sunt exactius informati, talem conditionem pro ridicula
iri habitum. Lex 4. §. 1. ff. de statu liberis hoc non
pertinet, cum quod seruus sine probro potest, summus
sane imperans sine maiestatis sua dispendio praestare ne-
queat. Sed fac tamen, Principem existimare, aliquid
esse dicis causa permittendum voluntati testatoris; nec

ire ipsum, sed curru cataphractum per aliquot passuum
millia ornate vehi, an sic pro impleta habenda condic-
tio? Et vix hæreo, quin hic Modestini l. 27. ff. de condi-
tione instit. & Papiniani l. 113. §. vlt. ff. de legat. I. argumen-
ta magni sint facienda, huiusmodi voluntates morientium
in eptas minime seruandas ad vnguem statuentium;
quantumuis testator disertis verbis tale quid imperaue-
rit atque adeo quod Staberus ille apud Horatium lib. II.
Satyræ III. addiderit: **SIVE EGO RECITE SIVE PRA-
VE, HOC VOLVI.** Nemo enim in testamento, verba Mar-
quardi Freheri lib. I. Parerg. cap. XXVI. recito, quan-
tacunque eius sit libertas, efficere potest, ne leges & boni mo-
res locum habeant. Similiter Olaus Augustus negligi vo-
luit preceptum Virgilii, qui Aeneidem suam (dodam, Iupi-
ter, & laboriosam) incendi moriens iussérat. Adeoque e-
leganter Augustus: *Quod male iussérat ille, sit vetuisse
meum.*

§. XXXI.

In ceteris nulli dubitamus, quin sit ad amissimi-
seruanda testatorum voluntas, hæredes instituant, an
legent, codicilos faciant, an fideicommittant: siquid-
em Principes e privatorum hominum diuitiis suum
augeri patrimonium cupiunt. Proinde quartæ falci-
diæ eorum legata subiacent, ac quartæ trebellianicæ
fideicomissa: nec incertus sum, sed scio, am-
mitti, quoque de iure trebellianicam, si se cogi-
patiantur, &, post sententiam demum in eos
pronunciatam, præstent, quod sua sponte præstari con-
ueniebat. Quam in rem multa haberem, quæ essent
iucunda & utilia lectu. At cum respondentium non
minus

minus, ac testatorum voluntati sit obtemperandum, ii-
que dissertationibus suis certum plerumque pagellarum
modum destinent; idcirco contraham quodammodo
vela, dummodo tria adhuc themata excusserim.

§. XXXII.

Primum est, an Princeps agnoscere legatum pœ-
nae causa possit, neque hoc ei indecorum sit; Quod si
institutiones audiamus, in tantum hæc regula obseruaber-
etur, ut quam plurimis principalibus constitutionibus signifi-
cetur, nec Principem, quidem agnoscere, quod ei pœna nomi-
ne legatum sit. Duntaxat disceptatur, quid sit legatum
pœnae nomine relictum? Ac Bynkershoekio Viro
clarissimo nemo fere satisfacit, ne ipse quidem Tribonias-
nus, quem vehementer peculiari hanc in rem conscripto
libello exagitat. Fuisse vero talia, eaque prohibita, vt
que Iulius Capitolinus historiæ Augustæ scriptor, tum
in Antonino Pio cap. VIII. tum in Elio Helvio Pertinace
cap. VII. diserte memorat. Sed quæ corum natu-
ra ac qualitas, disquiritur. Ego puto, ea legata omnia
pœnalia fuisse vocata, quæ contra hæredis inclinationem
eidem fuere imposta, quæque non tam honorem, quam
dolorum, quid? quo dignominiam apud sapientiores ei
adferebant: cum interea testatorum sit, beneficium im-
pertire hæredi, simulatque honorare legatorios. Pri-
mum non sit, cum beneficio ornetur nemo, qui in simul
afficitur moerore, ac contra iudicium suum cogitur. Se-
cundum itidem non appareat, quia legatarius in condi-
tione positus nullo honore afficitur, sed tum demum ali-
quid ex accidenti lucratur, si pertinacia hæredis frangii
non potest. Ex quo causa deducitur, quare nec Prin-

K. 3

ceps

78 CAP. VI. DE MODO QVO PRINCEPS

ceps agnoscat; vt qui honorari, non autem quocunque lucro contentus agere solet ac debet. Quod Bynkers-hœckium suspicium reddidit, hoc est, quod ante lustinianum talia, que is permittit, iam valuisse & iuris effectum habuisse, deprehendit. Quid igitur noui statuit Tribonianus, si nemo de legatorum pœnæ nomine relictorū firmitate dubitauit? ac vicissim ad vnum omnes conspirarunt, sub impossibili, turpi, probroso conditione relictæ penes hæredes & legatarios, a quib⁹ sœpe legabatur, periude manere, ac si nulla conditio esset abiecta? Verū tamen si quid video, hoc voluit Iustinianus: non esse disceptandum amplius, an sitquodammodo probossum, aut contra matrimoniorum libertatem relictum, aut subtili quadam ratione a morum integritate ac grauitate desciscens? Nam hac de re apud veteres Iureconsultos controuersiarum cumulum inueniri, nemo non intelligit, qui exempla ab ipso Bynkershœckio adlata suis ponderibus exigit, & rubricas Digestorum *de conditionibus & demonstrationibus*, itemque *de legis curatiis pensiculabit*. Quamobrem hasce scrupulositates veterum legum omnes vno i&t;u abscondens præcipit, vt valent huiusmodi testamentorum dispositiones, EXCEPTIS VIDELICET IIS, QVÆ IMPOSSIBILIA SVNT, VEL LEGIBVS INTERDICTA, AVT ALIAS aperte PROBROSA. Vocabulam *aperte* haud temere adiicio; vt si uum Iustiniano decus confiter, nec, vbi seruari eius auctoritas potest, illa in præcipitio temere statuatur. Ita vero & veterum Iureconsultorum fragmina percipiuntur & l. vn. C. *de his que pœna nomine relinquuntur*, & denique §. ultimus Institutionum *de legis omnium copio-*

copiosissime hac de re agens, sine repugnantia exponitur. De quo ut paullo liquidius infirmemur; proponam exemplum. Ait Horatius lib. II. Sat. 3. v. 84. seq.

Heredes STABERI summam incidere sepulcro.

ni sic fecissent gladiatorum dare centum

damnati populo atque epulum arbitrio Arri &

frumenti, quantum neuit Africa.

Pro certo habeo, ante Antonini Pii etatem neminem dif-
fensisse, aut disputasse, an haec testatio valeret? siue pra-
ue, siue recte: hoc volebat STABERVS. At post An-
toninum & Pertinacem sepiissime in vtramque partem
differebatur, honestumne & rigidae virtuti conueniens ta-
le legatum esset, an contra? an rationis aliquid habuerit
testator? an prudentem animum? sapiens ne fuerit, an
pro mero arbitrio aliquid imposuerit haeredi, quem sic
honorari preseferebat: quanquam interea molestia eum
afficiebat &, vt stolidum quid perageret, per circumstio-
nem cogebat? Seruemus STABERI Horatiani exem-
plum; & quid in vtramque partem potuerit dici animad-
vertamus. PRO STABERI voluntate faciebat, magnum
fuisse dedecus apud Romanos in paupertate decepsisse.
Notum est, quae census summa Equitibus, quae Senatori-
bus sit imposita: nec obscurum manet, quam defuge-
rint etiam post mortem iidem, res suas sub hasta vendi, &
egestatem suam publice notam fieri. Igitur STABE-
RVS summam patrimonii faxo insculpere haeredes vo-
luit. Ni facerent, poenam in eos statuit, vt gladiato-
ribus soluerent centum, cetera. At contra STABERVUM
pugnat: homines auaros & vanis deditos pauperiem tan-
quam vitium intueri: quia scelustum videri, virtutem,

30 CAP. VI. DE MODO QVO PRINCEPS

famam, decus, diuina humanaque diuitiis vnicce parari. Ita Horatius hunc STABERVM exagit. Quare conclusisset forte declamator, legatum hoc prorsus esse illicitum. Cogi quippe haeredem per poenam adscriptam ut hominis stolidissimæ voluntati pareat: quam de cetero alter satis speciosam, ac iustam reddere conatus est. Eius generis altercationes sustulit Iustinianus, neue iis forum perstreperet, edixit. Sic sana omnia, sic nihil occurrit repugnans. Applicatio ad Principem facilis est. Accipit nunc ille legata, nisi aperte illicitum, probosum, impossibile sit haredi adscriptum.

§. XXXIII.

Alterum, quod notatu dignum, hoc est: legatum Augusto relictum transmitti ad successorem, eti testator superuixit. Legitur singularis haec decisio apud Gaium 1.56. ff. de legat. II. QVOD Principi relictum est, qui, antequam dies legati cedat, ab hominibus eruptus est, ex constitutione Diu Antonini successor eius debetur. Rubrica commentariorum ad legem Iuliam & Papiam indicat, ordinario iure huiusmodi legatum caducum fieri debuisse: a qua lege caducaria illud eximit constitutio Antonini. Ecce? Dionysius Gothofredus odiosum hoc reputat, & Principum maiestate indignum. Ego contra. Nam dum iure communii etiam Augustus se usurpum saepe significauit; mirum foret, si hoc loco ei ius commune videretur molestum atque inuisum, Igitur rectius dicitur, videri hoc legatum dignitatire relictum, quæ perpetua est, nec cum persona interit, in primis cum successor eadem auctoritate per se polleat, ac simili maiestate coruscet. Vnde iterum claret, quare ad vicarium Imperato-

torem, etiam hodierno iure huiusmodi decisio non sit propaganda, quo talia legata non ad fiscum deuoluuntur; amplius, sed penes haeredem manent. Vicarius enim Imperator neque tam eminentem dignitatem gerstat, neque per se habet, sed aliunde illam & ex accidenti accipit: cum vero successor illa & pari gadu, & per se competit.

§. XXXIV.

Sed quare aliud in Augusta Plotinaque sua definivit Hadrianus, quare diuersum in Faustina constituit Antoninus l. 57. ff. *de legat.* II. et si ceteroquin iisdem priuilegiis fruitur, atque maritus? Cardinalis Mantica *de coniectand.vlt.volunt.Lib.VIII.tit.XVII.* hic enigmata loquitur; sed Hugo Donellus *Comment.lib. VIII.c.XX.* rem totam perspicue expedit. Neque enim Augusta succedit, neque a populo eligitur. Potest etiam Princeps carere vxore, potest in viduitate vitam transigere. Quidquid facit, suo demum arbitrio facit; istaque non præ est imperio, sed marito subest. Addo, neque hoc loco de priuilegio sermonem esse: vtut primo obtuitu videtur. Qui Principem appellat, sine nomine eius speciatim expresso, ad dignitatem respexisse censetur semper manentem, nunquam occidentem. Augustæ dignitas, quam primum inter homines esse desit, intercidit, ac tum demum noue oritur, quando aliam in torum recipit Augustus. Itaque legatum evanescit non existente persona, seu *subiecto*, vel dignitate perpetua, cui adglutinetur. Principis dignitas & eadem est, & æterna, nec vni personæ, nec ex speciali caussa affixa.

L

§ XXXV.

§. XXXV.

Tertium non tam difficile, quam ob methodum semel electam necessarium obseruatum est; nempe, testatorum voluntatem ambulatoriam manere, quanquam Augustus in testamento semel rite ordinato nominatus inuenitur. Mutato igitur testamento, vel rupto nihil ex copiis defuncti in eum reducat. Hoc Tacitus aliebui *civile* vocat. Cuiile enim reputatur, libere posse mutaria morientibus voluntatem. Quamlibet enim iniuriae aliquid subesse videtur, Principem hæredem delere, vel alio testamento condito eum submouere; attamen 1.6. C. *qui testamenta facere possunt*, id non solum diserte permittit, verum etiam principiis semel in iurisprudencia Romana stabilitate conuenienter argumentatur. Neque igitur iniuriam infert, qui, quod lege potest, facit. Nec dubito, quod iam supra cap. IV. §. XVIII. obseruai, quin, uti testamento nuncupatio institui summus. Princeps hæres potest, abolito testamento in favorem alterius scripto; ita quoque idem remoueri per solam contestatam nuncupationem ab omni hæreditatis compendio queat.

§. XXXVI.

Corollarii loco adnecto, Principes Romanos etiam paganos in accipiendis hæreditatibus religiosiores multo extitisse, quam sacerdotes Christianos, ac monachos qui omnem lapidem mouent, ut hæredibus legitimis, atque necessariis vel totam, vel partem hæreditatis inique præripiant. Ameloti verbis id, quidquid est, exprimant, quæ ad Taciti lib. II. cap. XLIX. (alias XLVIII.) p. 393. leguntur: *La modération de Tibère, qui tous*

tout païen qu'il étoit, faisoit scrupule, à accepter la succession de ceux, qui en frustroient leurs parens, devroit faire honte à ces Moines, qui se sont instituer héritiers au préjudice des enfans de famille, & de mille & mille pauvres parens, qui périssent de misère. Ceux, qui, par leurs vaux & par leur ministère, sont obliges plus droitement, que tous les autres Ecclesiastiques, à mener une vie retirée & mortifiée, peuvent-ils en conscience empêter leur tens à solliciter les Iuges à assiéger les Tribunaux, & à faire tous les jours des procédures nouvelles, contre des héritiers légitimes, dont ils veulent avoir le patrimoine? Sed sacerdotibus, Amelote, christianis plura licebant, licentque, quam idolorum cultoribus. Neque enim Deos Romani hæredes instituere poterant quoscunque: erant eis Numina legibus recepta, senatus consultis, ac Principum constitutionibus firmata. Adeo illis iniuriam peregrina religio. In illis *voulois œœus* inueniuntur Iupiter Tarpeius, Apollo Didymæus, Minerua illensis, Hercules Gaditanus, Diana Ephesia, Mater DEorum Sipelensis, quæ Smyrnæ colebatur, & Cœlestis Salinen-sis, ac fortassis plures, de quibus videndi commentatores ad Vlpiani Fragmenta Tit. XXII. inque primis Radulphus Fornerius *Rerum quotidianarum* lib. II. cap. VIII. qui inter alia inscriptionem veterem Romanam profert ad S. Quiricium DEIS. ET. GENIO. RHODONIS. DOMITIAE. AVG. SER. EXACTOR. HAEREDIT. LEGAT. PECVLIOR. Cum vero vinceret tandem Christiana religio testamenta occurrunt, in quibus instituebatur heres Christus, aut Mastryr aliquis, aut archangelus & sanctus. Quotvero sunt, quælo, San-

84 CAP. VI. DE MODO QVO PRINCEPS &c.

Ati, quot Martyres? Iustinianus l. vlt. C. de Sacros. Ecclesiæ loquitur; nec magis definite Nouella 131. Itaque fenestra est aperta sat ampla ecclesiæ in honorem tot Martyrum ac Sanctorum exstructis, vt hæreditates locupletissimas cernerent: donec iterum pessulum obedirent immodicis Sacerdotum cupiditatibus variæ leges, ne nimium emungerentur suis pecunias boni ciues, ac flaminum dignitatem in immensum crescerent. Habet hanc in rem Aurenus L. II. cap. I. de Sacros. ecclesiæ ministeriis ac benef. nonnulla; habet Richardus Simonius in libello singulari ac gallico de origine reddituum ecclesiasticorum, a quibus recensendis utrum valde amena essent, atque pulchra abstinemus, hoc Catone contenti vtcunque.

F I N I S.




ULB Halle
005 611 644

3



vD18





F. F. S.
DE

L.

INCIPERE CREDE

EX
AMENTO
VIVM

1721, 10.6

RAESIDE
HIERONYMO
LINGIO ICT.

AC POTENTISSIMO
CONCILII INTIMORIBVS
VRIS NATVRAE AC GENTL
ENTIAE ATQVE ANTIQVITA
SSORE ORDINARIO
I C I O I C CC XXI.

L. Q. C.

S P V T A B I T

IDERICVS GOLL
sis Wurtenbergicus.

P. CHRIST. HENCKELII, ACAD. TYP. 1732.